157

R:4:20

BQ V 10

DUE OPERE: HODIERNA -
AURIA -

PER LA PRIMA OPERA RICCARDI LA CITA SENZA DARNE COLLAZIONE.

PER LA SECONDA RICCARDI CITA LA STESSA EDIZ. DANDO COLLAZIONE DIVERSA CON MENO CARTE.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/menologiaeioviscOOhodi

MEDICAEORVM EPHEMERIDES

NVNQVAM HACTENVS APVD MORTALES EDITÆ

Cum ſuis Introductionibus

IN TRES PARTES DISTINCTIS.

AVCTORE

DON IO. BAPTISTA HODIERNA.

MENOLOGIÆ IOVIS

COMPENDIVM

SEV

EPHEMERIDES MEDICAEORVM

AD

FERDINANDVM BIS MAGNVM

HETRVRIÆ DVCEM

HODIERNA SICVLO AVCTORE

DVCIS PALMAE MATHEMATICO.

PANORMI, Apud Cirillos. M.DC.LVI.

Impr. Abbas Gelosus V.G.S.V. Impr. de Denti F.P.

SERENISSIMO DOMINO

FERDINANDO

MAGNO

HETRVRIAE DVCI AMPLISSIMO, ETC.

Salutem, & Aeternitatem.

TVAE Celsitudini, Magne Dux Hetruriæ, *Stellæ* quatuor Iouis Comites, quæ anteactis sæculis mortalibus inuisæ fuere, primúm illuxerunt, coortæ sunt tuæ Fortunæ Comites, & quæ interim in Orbe Iouis, vel in eisdem Stellis à nobis deprehensa sunt Phœnomena, tibi quoq, adnata sunt Serenissime Dux, tibique iure debentur æquissimo, Nam ex quo fœlicissimus ille *Sydereus Nuncius*, cui primùm, adnuente Deo, admiranda sydera, septima Ianuarij luce Anni 1610. nocte auspicatissima, recẽnter illuxisse contingit *Galilæus Galilæi Florentinus*, tuę ipsius Celsitudinis Mathematicus, vt Cosmi Primi verè Magni Ducis Hetruriæ, Cognomentum, & Stemma Gentilitium Coelo in æternitatem consecraret, MEDICAEA SYDERA dixit, & indigitauit. Ego igitur, qui in eorumdem Phœnomenorum deprehensionibus (inter Præceptores, ac Magistros meos præ-

cla-

clarissimos) nouissimus deprehensor sum, per quam beatus ero. Si recentiora Phœnomena, quæ in eisdem Iouis Comitibus, accuratioribus numeris, & studijs obseruaui, eidem tuæ celsitudini, consecrauero. Nam etsi quamplurimi, post *Nuncium Sydereum*, eximij Nominis Astronomi, in obseruationibus Medicæorum enixè studuerint, prout fuere *Simon Marius Guntzehusanus* ipsius Galilæi coętaneus, in suo mundo Iouiali *Christophorus Scheinerus S. I.* in Disquis. Mathem. n. 39. *Blancanus* in sphæra lib. 14 cap. 1. & 7. *Io. Kepler.* in Dissert. cum Nuncio Sydereo à pag. 10. & in Notis à cap. 16. sui Mysterij Cosmographici, & in Epitome Astronomiæ pag. 538. & 553. *Petrus Herigonius* To. 5. cursus Mathem. pag 580. & 857. *Petrus Gossendus Canonicus Damensis* in iudicio de nouem Stellis circa Iouem á Schirleo visis: *Antonius Maria Schyrleus de Reita Capucinus*, in oculo Enoch, & Heliæ, seu Radio Sydereo mistico lib. 4. *Franciscus Fontana Neapolitanus* in suis obseruationibus Tract. 6. c. 2. & *Gotifredus*, ac *P. Io Bapt. Zupus S. I.* in suis ad Adm, R. P. Io. Bapt. Ricciolum nuperrime literis: & *D. Vincentius Reinerus Oliuetanus*, & alij viri eruditissimi) eorũ motibus, & aspectibus obuiam ire. Nihilominus horũ nemo opus absolutum perfecit, aut quidpiam noui adinuenit, vel in ipsis *Medicæis* intercepit, prę̨ter id omne, quod *Galilæus* ipse, primus horum minorum Planetarum Detector, indigitauit, & edocuit. Nam id omne, quod *Franciscus Fontana*, & *Schirleus*, vel quiuis

alius,

alios, de nouenario numero, vel de pluribus quater nario numero Comitum *Iouis* con fabulantur, vti vanissimum, prorsus damnandum est: qui sane parum Cælestium rerum obseruationibus addicti, Stellas fixas cũ *Stellis Medicæis* confundentes, meritò decepti sunt. *Schirl*, cũ non rectè Stellas Medicæas nouerit, illas *Vrbanianas* appellandas voluit: sed audiat, quæso, Celsitudo vestra SERENISSIME DVX, quid Auctor Almagesti noui, nouissimus Atlas, de *Reinero Oliuetano* Mediceorum studijssissimo scripserit lib. 7. sect. 1. cap. 3. Tom. primi.

» D. Vincentius Reinerus Oliuetanus, *inquit*, Galilæi Alumnus, ac primarius Pisanæ Vniuersitatis Mathematicus, decem totis annis obseruationibus horũ sedulò incumbens, Ephemeridas, ac Tabulas absolutissimas condiderat, mihique illarum specimen miserat: sed heu, dùm Editionem libri de motu Stellæ Iouis, & quatuor Comitum, ac recentioribus Cœli Phœnomenis parat, quam incohandam post vnum mensem mihi pollicitus erat, in sua Epistola Anni 1647. die 11. Septembris; mense Nou. mortuũ accepi. & quia extra Monasterium Negotiorum suorum causa degebat, qui spolium occuparunt, scripta eius, aut perdiderunt, aut perdita, vel surrepta nõ repererunt, adeo vt nulla conquisitione nostra, immò ne Magni quidem Hetruriæ Ducis, recuperari potuerunt; dolenda profectò iactura.

Cum igitur de tanti operis iactura humanitatem

Cel-

Celsitudinis vestræ, ô MAGNE DVX, ètiam condoluisse acceperim, itavt eadem *Reineri* scripta diligenter conquisierit; hinc fieri non posse conijcio, quin *serenitati vestræ*, ea de Stellis Mediceis scripta deperdita, vel similia, si reperiantur gratissima futura sint.

En igitur MAGNE DVX, quę de eisdem *Stellis Medicæis*, sub auspicatissimo eorumdem Iouis Comitum afflatu, Problemata, Thaoremata, & Cœli Phœnomena recentiora manifestantur, tanquam *Vestræ Celsitudini* non ingrata, tibi offero, dono, consecro, & *Medicæorum Prosapiæ* in æternitatem commendo.

At velim scias *D. Iulium de Caro, & de Thomasijs Palmæ Ducem*, & Dñm meum, ad opus istud Astronomicum accuratissimè persoluẽdum, & *Celsitudini tuæ* consecrandum me instimulasse, qui sępius etiam obseruationibus hisce interesse voluit, nedum vt laborũ Testis, verùm etiam vt motuum illorum spectator.

Hisce igitur rationibus instructus, & his coactus aculeis, hoc perexiguo onustus volumine, *Introductionum & Ephemeridum* (in quo breui Methodo in primis de num ero, de situ, de circumgressionum longitudinibus: de Latitudinibus, Coniunctionibus, & de Eclypsibus, deque vniuersis horum Planetulorum Phœnomenis) deinde quęcumque ad exactam horum Theoricam sufficiunt, explicantur, & secus in alio volumine mox edendo demonstrantur, ad te volens, ac lubens, *Serenissimè Dux Hetruriæ magne*, accedo; & in obsequium *tuæ Celsitudinis* Opus istud qualecumque sit

offe-

offero, dono, dedico. Vale. Palmæ Kalendjs Ianuarij M.DC.LVI.

Amplissimæ tuæ Celsitudinis.

Seruus Humillimus

Don Io. Baptista Hodierna Siculus Archipresbyter Palmæ.

DE
EPHEMERIDVM PRAESTANTIA
PRAEFATIO AVCTORIS.

SI quid Opus humanum mortalibus admirandum, nil profectò mirabilius censendum, quàm Cęlestium reuolutionum (quibus multiplices mobilium supernorum circumgressiones adamussim explicãtur) *Ephemerides* condere. Quid enim homini præstantius, quàm legis intemeratæ ab ipsomet immortali Conditore, Cælestibus mobilibus inditæ, Methodũ explicare, & indigitare? Quod intelligens ac stupẽs Plato in Epinome. *Nolite*, inquit, *ignorare ASTRONOMIAM sapientissimum quiddam esse.* Et meritò quidem, nã Astronomiæ studiosus Homo, Cælestium rerum iudex æquissimus, & naturæ secretioris interpres efficitur, & ob id Astronomiæ scientissimus merito diuinitatis limen attingere, vel esse plusquam Homo reputetur.

Quod si Stellarum, quæ in omnium conspectu, quotidie præ oculis euidenter effulgent; vel quæ ab ipsa mũdi creatione mortalibus innotescunt, *Ephemeridas condere*, Opus valde admirandum esse constat, quale stupendum vel mirificentissimum Opus erit illud, in quo Stellarum, non actu quidem aspectabilium, sed potentia visibilium; quæue non in amplissimo Cœli Theatro, sed in angustissimo mundi sinu apparentium *Ephemerides* digeruntur? & Phases illarum admirandę præ oculis visendæ proponantur? Tale erit opus istud, quod modo præmeditandum sese mortalibus offert. Hæc enim *Pars Astronomiæ* sicut recenter mortalibus subodorata, ità quoque *om-*

nium abditissima existit. cuius nos non humanis viribus quidem sed spiritu Dei agente, *Theoricam absolutissimam* persoluimus; & modo conditis mobilium horum quatuor, Tabulis, ac Radicibus *Ephemeridas hasce*, in Dei Optimi Maximi gloriam, contemplandas mortalibus edidimus. in quibus non solum simplices, tum & apparentes motus, sed & *Latitudines*, *Digressiones*, *Directiones*, *Stationes*, *Retrocessiones*, *Coniunctiones*, *Eclypses*, & *Deliquiorum quoque perdurationes*, & *singulas Phases*; adamussim contemplandas indigitamus, & præ oculis exponimus, opus quidem sicuti recentissimum, ità & abstrusissimum, arduum, laboriosum, ac multis vigilijs cõparatum. verùm qualecunque sit, nos qui te Lectorem iudicem æquissimum constituimus, illud tibi contemplandum offerimus, illudque ad magnificentissimi Dei conditoris gloriam committimus. Vale.

AD

AD

LECTOREM HVMANISSIMVM

AVCTORIS ADMONITIO.

*A**Ttingam aliquid in hoc volumine, sed mutilatim, de* Theoricis Medicæorum, *Lector humanissimè; nam & in* libris Theoricorum *hæc expenduntur amplissimè. si quidem illic* Atlantem *agimus: modo hic* Herculem *repræsentamus: Molem quam illic humeris iam sub- stinentes digessimus: modo hic digestam, præ oculis meditandam, vt ea rerum cælestium Studiosi perfruantur, proponimus. Pro compendio vero, ad Introductionem in* Ephemeridas, *Apotelesmata nonnulla per ordinem explicabimus*

Sed ad maiorem rerum dicendarum notitiam, in primis animaduertendum sit. Eam, quæ Solis est, Iouis ipsius Theoricam ordine, ac natura præcedere. Iouis enim orbis (sicuti & reliquorum Planetarum) Firmamento Soli inseparabiliter connectitur; & ab eius, Continente omnium amplissimo complectitur. quò necessariò fieri contingit, vt omnes ac singulæ Solis ipsius progressiones, vel circumlationes annuas, tempore ac magnitudine, Ioui, & Aulicis eius etiam adamussim competant.

Illius præterea sphæricitas amplissima, per quam iugiter Iouis Globus cum sibi annexis Comitibus reuoluitur & circumfertur. Solem (cui directè, & indirectè subordinatur) constantissimè respicit: ad Tellurem vero Iuppiter, nullam cum suo satellitio coordinationem, nisi respectiuè, quatenus videlicet, ipsi Soli subordinetur, sibi vendicat.

Porrò Solis Absis, quam Augem, vel Apogæum Astrono-

mi nuncupare solent, sub grad. 9. Cancri, hoc anno 1656 à Virgineo Partu, supponitur, Iouis Aux vero, in eius tetragono, in quo iugiter insistit, incidit, sub gradu IX. libræ, sub quem, quoties assurrexerit, eminentissimus efficitur, prout econtra, infimus & Orbi Telluris proximus apparet, quoties in eius diametrum sub gradu 9. Arietis incidit. Ergo Motus Augis Iouis ad motum Solaris Augis, quamuis in motu multùm remissior appareat, adamussim circumrapitur.

Quo vero ad Celsitudinem tanti syderis, ea quæ magnitudine, ferè imperceptibilis efficitur. Constant enim Astronomiæ Præceptoribus, Iouiæ sphæricitatis Radium, ad Solis Orbis Radium, seu ad Solis è Terris celsitudinem, eamdem in Longitudine sibi vendicare proportionem, quam numerus quinque, & sexta pars vnius ad vnum. Sed celsitudo Solis è Terris media, ad minimùm constat semidiametris Terræ 7300 seu Lunaribus Radijs 121. (centies vicies, & semel enim Solis altitudo Lunarem è Terris distantiam continet) Ergo Iouis Globus cum vniuersa Medicæorum cohorte, & Orbitate, 37710. semidiametris Terræ, seu minimis 625. Lunares Altitudines, in se virtualiter complectitur.

Quæ quidem *Iouis* incomparabilis altitudo, vt aliquo sensu exprimi possit, primum supponatur semidiamet. orbis Terrarum in sua longitudine complectere milliaria italica 3500. quibus multiplicatis per 58. quot supponimus lunarem altitudinem Terræ semidiametros cõtinere, iam numerus productus erit milliariorũ 203000 qui rursus multiplicatus per 121. quoties radius Solis Lunæ radium continere admittimus, prodibit altitudo Solis milliar. 24563000. qui rursus numerus auctus per quinque & sextam partem vnius fit 126.908.835. milliariorum

riorum distantia *Iouis* è Terris.

Secundo suppono sani hominis pulsum in summa quiete, percussiones dare singulis diebus 95040. (didici enim Arcteriæ percussiones in pulsu meo, singulis horarum sexagesimis fieri 66. singulis horis vero 3960. ergo singulis diebus pulsationes producentur 95040. & consequenter in diebus 365 vnius anni ciuilis pulsationes Arcteriarum fient 34689600.

Tertiò si milliaria 126. 908. 835. distribuantur per 34.689. ictus pulsi vnius anni, singulis contingent ictibus milliaria tria & dimidiam partem vnius saltem. Ergo vbi ingens lapis è celsitudine *Iouis* decidens, ductu grauitatis, singulis ictibus pulsi, sua celeritate, absolueret milliaria tria & dimidiam partem vnius, ità vt singulis minutis milliaria saltem 231. & singulis horis milliaria italica 13860. (cuiusmodi mobilis celeritas vix imaginatione percipi potest) non prius tamen lapis ille tanta celeritatis pernicie prolapsus, Terræ solum attingeret, quã dies 365. vnius anni absumerentur.

ANAGRAMMA PVRVM
Litterarium

Dominus Ioãnes Baptista de Hodierna, sacroue ritu istius Palmensis Ecclesiæ Archipresbyter erectus.

Chari, & si adamans Iesu, suspiciens, cæli scrutator, et siderũ Arbiter, hic Orbe sapiens, splendet in æuo.

TETRASTICHON

Quis CHARI, ETSI ADAMANS, IESV, SCRVTATOR *(in horas,*
COELI, *ac* SVSPICIENS, ARBITER *extat homo,*
SIDERVM, ET *arte grauis, nostro, quis* SPLENDET IN *(AEVO? HIC,*
Tu, paruo, es SAPIENS, *qui capis,* ORBE, *polos.*

In Domino Seruus

Don Marius Bonaiuto Panormita.


IOVIALIS ORBIS
SYSTE= MATIS
EXEM= PLAR.
CÆLESTIVMQVE PHŒNOMENVM
PHASES

INTRODVCTIONVM IN EPHEMERIDES MEDICÆORVM

PARS PRIMA.

IN QVA DE NVMERO, DE SERIE, DE DIgressionibus, de Circumgressionibus, de Periodis, de Facultatibus, dèque Medicæorum peculiaribus Nomenclaturis breuiter agitur.

STELLAS MEDICAEAS MVNDO coæuas esse: Mortalibus tamen adusque Nuncij Syderei aduentum, prorsus inuisas fuisse.

CAP. I.

VBI nullus prorsus Optici Tubi vsus Antiquis conceditur, saltem in contemplatione Cælestium Phœnomenum, (pro vt nobis in Theoricis ostendendum fuit) nullus etiam inter mortales, hucusque Stellas abditas , vel sola potentia visibiles (quatenus videlicet , nonnisi per Teloscopium visibili-

tatis actum assequuntur) animaduertere potuit. Et cùm non constet, ante celeberrimi rerum arcanarum Exploratoris ætatem, vsum Optici Tubi, ad Cælestium rerum contemplationem institutum, ipsemet, qui primus omnium ad agminum sublimium discooperimẽtum caput, & organum suum direxit, Nuncij Syderij Encomium lucratus, optimo iure sibi indulsit. Ideo neque ante Galilæi sagacissimi Philosophi, ac Serenissimi Ducis Hetruriæ Cosmi Magni, Mathematici benemerentissimi ætatem annorum proximè 48. Stellæ Iouis Comites, mortalibus oretenus reuelatæ sunt. Scribit enim anno Dñi 1623. Ad D. Virgineum Cæsarinum. se primum obseruationem Medicæarum Stellarum aggressum fuisse. Nocte diei septimæ Ianuarij 1610 & consequenter à mundo condito, ex quo Stellæ ipsæ Iouis Comites, cum reliquis à Deo Opt. Max. conditæ sunt, ad annum humanæ salutis 1610. Stellas Medicæas humanum obtutum diffugisse, ac prorsus latuisse, oportet. Modo anno Dñi 1655. quo hæc scribo (vel ætatis meæ 58. annus reuoluitur interdum) Annus 45. absoluitur, ex quo Iouis, Pedissæque conspicuæ mortalibus factæ sunt. Numquid id casu contigisse dixeris, vt hę Stellæ præclarissimæ huiusque mortales inuiserint? At quæ casu fieri in mundo censemus. ea non sine diuini Conditoris prouidentia sanciri credendum est. Magna enim & inexplicabilia sunt opera Dei, quæ in dies hominibus reuelanda veniunt.

Sed obijcies, hæ Stellulæ Iouis Comites, si comparẽtur ad Stellas fixas, Stellas magnitudinis sextæ exęquare videntur, provt ex transitu Iouis, per Stellas inerrantes, (quæ sępius cum Stellis Medicæis permixtæ, confundũtur

tur

tur) deprehenditur. Vnde igitur fieri contingit, vt nunquam à mortalibus, ante vſum optici Tubi, animaduerſæ fuerint, ſupponatur; cùm & Aſtronomi de Stellis etiã ſextę magnitudinis rationem habeant; quin & libero oculorum intuitu ſtellulas multo tenuiores proſpicimus, & in ſingulis conſtellationibus animaduertimus, quæ tũ in Catalogo Stellarum non adnotantur. Poſſibile igitur videtur, vt & hæ ſtellulæ Iouis Comites aliquando à mortalibus viſæ fuerint, ſed & de Stellarum inerrantium & exiguarum numero ab ipſis reputatæ.

Cui obiectioni, ita ſatisfaciendum duco, videlicet, Stellas Medicæas oculis mortalium, libero intuitu exſcerni prorſus impoſſibile eſſe. Nam hæ ſtellulæ à lucidiſſimo Iouis diſco, nunquam vltra lunare ſemidiametrum recedere quin potius, ea quæ omnium extimo, maximè à Ioue digreditur, non recedit vltra min. 12. à Iouis centro, ideò ob exceſſum ſplendoris ab Iouis iubare irradiati, ſpecies illarum adeo perturbatur, & obtunditur vt nullo viſus conatu, tenuiſſimum illarum. Iubar ſecerni poterit. Quæ igitur ſtellulæ, vbi à Iouis præſentia nõ afficerentur, actu prorſus viſibiles eſſent. ob luminis eius præſentiam, potentia viſibiles fiunt; provt euidenter accidit in Stellis quintę, & ſextę magnitudinis, quę cùm, noctibus interlunijs valde conſpicuę ſint, in Pleniluniis tamen, ob præſentiam lunaris luminis, actum viſibilitatis amittunt. Quæ igitur iuxta Iouem ſtellulæ potentia viſibiles exiſtunt, ope optici Tubi, ſpecies illarum nimium augentis, actu viſibiles efficiuntur. Quod erat oſtendendum.

DE NVMERO STELLARVM IOVIS COMITVM & quam graue Onus, arduum ac laboriosum, sit illas ab inuicem oculis discernere, Circumgressiones animaduertere, ac Periodicas magnitudines determinare.

CAP. II.

CVM quatuor numero sint, non plures, nec pauciores, ab ipso mundi exordio, fuere, vel erunt Stellæ Mediceæ; Namq; Franciscus Fontana Neapolitanus: *Io.* Maria Schirleus Capucinus, vel alij quiuis, qui de septenario, aut Nouenario Comitũ *Iouis* fabulantur, ipsi dum stellas fixas, pro errantibus adnumerant, prorsus decipiuntur, & frustra Schirleus nouem vrbanianas computauit. Quatuor igitur cùm sint, potentia visibiles quidem, quatenus videlicet, pro apparente ipsarum stellularum exiguitate, sensus noster, non nisi ope optici Tubi, visibilitatis actum (corroborata potentia visus, dùm species illarum auctas excernit) ipsæmet stellulæ assequantur, dùm ex potentia visibilibus, fiunt actu visibiles. prçter id quod Teloscopium ad stellas dirigere, & aptare laboriosum est. hæ stellę adeò exiguę sunt, & ad inuicem, nitore, ac Iubaris magnitudine persimiles, vt nulla notione fere, ab inuicem secernere oculus possit. Neque. n. apparentis molis, aut coloris, aut motus differentia tanta in illis deprehenditur, vt singulas internoscere queas. Nã omnes ac singulæ, *Ioui* cohærent, in eadem celsitudine persistunt, & ab eodem Solis lumine reficiuntur. Prçterea omnes, ac singulę, eadem cursus

cursus celeritate agitari videntur: dirigi, stare, ac retrogradiri deprehenduntur. & cùm eisdem passionibus afficiantur, perquam difficile est, laboriosum, & perarduum opus est, harum stellarum Theoricas intexere, & Ephemerides condere.

Qua ratione Iouis Comites igitur ab inuicem visu distinguere poterimus, vt singulos quosq; indigitare liceat? Non alia quidem differenti nota, nisi Digressionis, & Elongationis maximę ab ipso Iouis disco lucidissimo, cui perpetuò connectuntur, disparitate, quatenus, videlicet, Stellę Mediceę Digressiones maximas hinc, inde, pro sua quaq; spœricitatis amplitudine vendicant, quas interim nunquam prętereunt. In hoc vno potissimum ii ab inuicem notabiliter diffidunt. vt ob id illinc nostrę deprehensionis exordium inchoauimus.

MEDICAEORVM PLANETVLORVM Singulas à Ioue Digressiones sensibili commensuratione dimetiri, & explicare.

CAP. III.

IN explicandis horum Planetulorum ab ipso Iouialis vultus lucidissimi centro, elongationibus, quas in maximis, aut intermedijs digressionibus ipsi vendicant, non alia sensibili, vel pręsentanea mensura vti poterimus, nisi ipsiusmet Disci, seu circuli lucidi apparenti amplitudine, seu diametro Cuiusmodi nos mensuræ magnitudinem deinceps communi vocabulo MODVLVM nuncupabimus. Neq; enim adeò sensi-

sensibiles ab ipso Iouis centro Mediceorum digressiones fieri perhibent, vt per gradus computari possint, aut per instrumēta mechanica deprehendi possibile videtur; dùm nulla quidem, vel extimi Comitis digressio maxima quintam vnius gradus partem excedit, quod vix credibile est; Nam præuia nobis deprehensione constat, primum, intimum, vel immediatum *I*ouis Comitem, vix vltra tres Diametros, vel *I*ouis apparentes modulos hinc, illinc que digredi: secundum vero paullulum supra quinq; Modulos elongari: Nam Tertius, Penextimus, qui & in ordine Penultimus Comes existit, nunquam in sua maxima digressione, nonum complectitur modulum: Vltimus vero & Penextimus nondum quintum decimum digressionis Modulum attinxit.

Quoties igitur Comitem *I*ouis vltrà nonum, à centro *I*ouis, Modulum diuagantem sensu visionis comprehendes illum in ordine Quartum, & Extimum recensito, quatenus ille maximam omnium inter Mediceos sphœricitatem sibi adscribit, & reliquorum trium, infra suę sphœricitatis amplitudinem Orbitates circumplectatur. Sed vbi animaduertas quempiam ipsorum quatuor, nonum proximè digressionis Modulũ adiens, vlterius non prætergredi, sed iuxta eumdem recessum, stationarium fieri & postmodum rursus in antecedentia reuerti; illum sanè tertium, ac penèxtimum recensito. Prętera vbi alium, vltra quinque Modulos nunquam elongari, sed in eodẽ recessionis termino, stationariũ fieri animaduertas, illũ quippe secundum in ordine, ac Penintimum perscribito. Nam primus & *I*ouis Comes immediatus, tertium à lucido Iouis Disco Modulum, vix in sua quaq; digressione

ne

ne, transfigit. Accuratiſſimè igitur obſeruandum ſit, quis illorum quatuor ad Ioue̅ accedat, ab eoue recedat. Nam in ipſo retroceſſionis actu, ab immediata ſtatione, omne fundamentum huius diſquiſitionis conſiſtit.

Sed quanam, inquies, Methodo ſcire id poterimus, quonam inſtrumento, videlicet, vtrum Planetulis tribus, quinque, nouem, aut quindecim à centro Iouis Modulos receſſerit, perſcrutandum erit? Non alio quidem, inquam, niſi ipſiſſimo oculi Radio, ſeu Viſionis Angulo, quo circuli lucidi Iouialis vultus, per opticum Tubum, amplitudinem percipimus, & intercapedinis magnitudinèm, inter ipſum & Comitem eius oculi arbitrio percipimus, an, videlicet, ipſamet viſa intercapedo, vnum, duo, tres, quatuor, vel plures Iouis viſus Diſcos tunc intercipere poſſit.

Quod ſi fortaſſe difficillimum ſit Extimi, aut Penextimi Comitis digreſſiones maximas oculi arbitrio dimetiri, (neq; enim facile percipere poterimus, vtrum dece̅, duodecim, aut quindecim Iouis Diſcos Extimi Planetuli elongatio: vel ſeptem, octo, aut nouem Penextimi longitudo intercipere queat) Difficultas huiuſmodi; hac Methodo compenſanda veniet, videlicet.

Conſidera per intuitu̅ oculorum pluries repetitum, vel per aſtantium ſociorum, ſi qui præfuerint, æſtimationem (nam plurimorum Arbitrum æſtimatio, tãquam plurium teſtium comprobatio, te certiorem redere poterit) propinquioris Comitis elongationem (facilis enim anguſtiora ſpatia, oculorum arbitrio, commenſurantur) ac deinde per comparationem vnius cogniti ſpatij, ad alia incognita ſpatia, dupla, tripla, ſeſqui dupla, ſeſqui-

tripla, vel proxima æqualia interstitiá tibi innotescere poterint. Nam ita distantias minores componendo, vel diuidendo, singulorum Comitum digressiones te non latebunt.

SCHOLIA.

1 ILlud præterea non ignorandum interest, superficiẽ conuexam rotundi corporis eminus visam, tanquã planam circuli superficiem à sensu percipi, ac repræsentari, provt patet in vultu Solis aut Lunæ. ob id nobis de apparenti Iouialis Globi conuexa superficie, tanquam de Area circuli ratiocinari licebit.

2 Interim Lucidi circuli Area, seu Disci lucidi amplitudo maior semper, quàm reipsa sit ad visum repræsentatur, etiam per Telescopium visa. quam assertionẽ comprobare multis argumentis conuincimur, provt in Theoricis nobis demonstrandum venit.

3 Ob id qui apparentem lucidi circuli in Stella Iouis magnitudinẽ per simplicem oculorum intuitum dimensi sunt; in æstimandis Medicæorum digressionibus per apparentem ipsius Iouis diametrum, longe decepti sunt. si quidem Cœlestium rerum Arbitres quiq; eruditissimi, in taxanda Iouis apparente diametro, & maximis ab eo Comitũ digressionibus, pro visus libidine, ab inuicem differunt.

4 Schirleus enim lib. 4. cap. 4. libri de oculo Enoch, & Eliæ, apparentẽ Iouis diametrum, ex sua obseruatione, minutorũ trium esse supponit; maiorem quidem quàm Braheus absque vsu optici Tubi diffiniuit neque aliquem vidi, qui minorẽ integro minuto Iouis diametrũ

depres

deprehenderit. Nam & Auctor Almagesti noui lib. 7. section. 6. ponit diametri Iouialis magnitudinẽ apparentem in minima Iouis celsitudine secundorũ 76. cùm tñ equidem nunquam Iouis diametrum excedere secunda 45. ex meis peculiaribus deprehensionibus, multis argumentis cõuinctus, admiserim, prout in Theoricis ostendendum venit.

5 Quò verò ad maximas Medicæorũ digressiones Galilæus Galilæi. in libro de Maculis solaribus. in schemat. Iouis & satellitũ, asserit digressiones maximas Quartæ & suppremæ stellæ, quę tres alias circũabit, non transcendere duodecim apparentes Iouis diametros: Marius vero tredecim: at Schirleus decẽ: nos vero ex accuratissimis nostris deprehensionibus, prope quindecim. Sed vti etiam singulas Iouis Comitum digressiones maximas ad mentem probatissimorum Auctorũ; innotescant, in adiecto Laterculo eas adnotare lubuit.

Medicæorum digressiones maximæ, in Modulis, quorum apparens Iouis diameter est vnus, ad mentem Auctorum inscriptorum.

Iouis	Galilæi		Marij		Schirlei		Auctoris	
Comites	Md.	m	Mod.	m.	Mod.	m.	Modul.	mi
1 Intimi	3	0	3	0	3	0	3	30
2 Penint	5	0	5	0	4	0	5	30
3 Penext.	8	0	8	0	6	0	9	0
4 Extimi	12	0	13	0	10	0	14	30

MEDICAEORVM SERIEM, ET AD IOVEM Coordinationem explicare.

C A P. I V.

PRofectò *I*ouis Comites, seu Lunulæ quatuor ad *I*ouis Globum, cui sphœricitates illarum perpetuò cohærent: & indissolubiliter cũ eo connectuntur coordinantur, & circumferuntur; non dissimili ratione, qua Luna hęc terrigena, quã præ oculis quotidie addentem sibi lumen, aut minuentẽ, dùm circumgreditur Terrã, conspicimus, eiusque lumine fruimur. Et sicutì, (ad mentem Philolai videlicet) Luna cũ Terra, ita & *I*uppiter cum suis Lunulis circũfertur. *I*ntimus autẽ Comes *I*ouis Globum immediatè circumambit: Penintimi vero sphœricitas, *I*ntimi sphœricitatem cõplectitur; sed hanc Penextimi, cuius sphœricitatẽ Extimi Comitis omnium amplissima circũdat, & continet. *I*nterim vero omnes in simul *I*ouem ipsum, quem iugiter subsequuntur, eique obsequiũ præstant. Neque ab simili ratione, ac mutua sibi correlatione, qua Mercurius, & Venus ipsius Solis motũ secundantes, interim eumdem circumgrediuntur. Ergo peculiaris *I*ouis motus, est Medicæorum motus raptus, quorum peculiaris motus circa *I*ouis Globum perpetuo iure fieri contingit.

M u-

MOTVS RATIONEM, QVA STELLAE MEdicææ circa Iouem reuoluuntur, contemplari.

CAP. V.

EAmdem prorsus vniuersitatis legem Iouis Comites, in suis reuolutionibus, consequuntur. nam sicuti Solis Comites(quos Planetas maiores: hominores, iure distinctionis, nuncupabimus) vel ipsemet Iupiter; ita & minores, per superiores sphœricitatum suarum semicircumferentias, quæ Cœlũ, & Absidem respiciunt, è regione Occidentis, in regionem Orientis: per inferiores vero semicircumferentias, in quibus Terrã, & Antabsidem respiciunt, è contra, ab Orientis Plaga, in Occidentis regionẽ (respectiuè) circumuoluuntur. Idque valde admirandũ sit, vnde id fieri contingat, vt omniũ Mobilium, ac singulorum, similis sit circumgressionis series ac modulatio, ita vt nullum in mundo reperiatur Mobile absolutissimum, quod contra communem errantium stellarum legem progredi nitatur: neque enim Solis maculæ hanc eãdem circũlationis legẽ transgrediuntur. Sed interim si quod mobile, etiã giratiuo motu in se concitetur, eamdẽ quoque adamussim consequitur. sed vt ea quæ modo recensita sunt, magis pateant, per adiectum schema veniunt explicanda.



SCHEMATIS explicatio.

Eſto, primùm, in Syſtemate Mundi Iouialis quod præmiſimus, S, olis Globus, qui circa Telluris Orbem T, quotennis circumuoluatur è regione S, per E, F, H, in S. ſicuti et Lunaris Globus circa T, per ſuam ſphæricitatem, ſecundum eamdem viam ab 1. in 2. per 3. & 4. rurſus in 1. Et interim circa Solis centrum S, circumferãtur omnes eius Comites Planetæ maiores, ☿ videl. ♀ ♂ ♃ ♄ quiuis per ſuã ſphæricitatem, & ſecundũ eamdem Solis, ac Lunæ circumgreſſionis viam, ab Occidente in Orientem, vt vulgò dici conuenit. Igitur Iouis ipſius Comites, ſeu Planetæ minores, eamdem legem, quam & maiores inuiolabiliter in ſuis reuolutionibus obſeruant. Suas enim reuolutiones, circa G

Iouis globum, producunt, ad secundum ipsius Ductoris G, secundum seriem F, D, E, B, F, ita vt intimus Planeta P, sit in actu ascendendi versus Apicem D secundus in ordine Planeta V, sit quoque ascendens versus Apicem D. Tertius C, qui iam proximus est Apici D, mox descendet versus Antapicem B, & vltimus Planeta Iouis F, qui è cardine E, recedere videtur, iam stat in actu descendendi ad Antapicem B, vt inde ascendat per maximam sui digressionem F. in Apicem D, & sic iugiter dum Iouis globus G, circumducitur circa Solis centrum A, ab F, per G, in E. Satellites ergo interdum simili lege tenentur. quod erat præmeditandum.

DE PASSIONIBVS MEDICAEORVM ratione motus circumgressiui, in suis reuolutionibus.

CAP. VI.

IOuis Comites easdem in suis circũgressionibus Passiones, quas & Planetæ maiores, vel ipsemet illorũ Dux, ac Princeps Maximus *Iupiter*, adamussim consequuntur, sibi vendicãt, vt ob id merito Veloces in cursu: Tardi, vel etiã Stationarij appareant: itẽ Directi, Retrogredi: Ascendẽtes præterea, & Descendentes: Orientales itẽ, & Occidentales Matutini, ac Vespertini, reputentur.

Namque veloces in suo cursu apparent, dũ iuxta radium centralis visionis *Iouis* A, B, G, D, seu propè Apicem D, vel Antapicẽ B, circũagitantur: Tardi vero fieri apparent, quò magis ab ipso visionis centralis Radio A, B, D, recedunt, vel ad extremos limites visionis E, vel F

acce-

accedunt,ſed in ipſis maximis digreſſionibus,quoties attingunt lineā E, G, F, ſtationarij cenſentur, ita vt à motu deſijſſe appareant, videlicet iuxta tangentes viſionis radios A E, & A F. Porro Directi cenſentur in curſu, dū per ſuperiores orbitarū ſemicircumferentias F D E, ad ſecundam *I*ouis mouentur: Retrogredi vero è contra dū per inferiores ſemicircū ferentias, contra ſeriē ſignorum per E B F, deferuntur. *S*ed & aſcendentes fiunt, dum res ipſa, per ſemicircūferentias Occidentales ab Antapice B in Apicem D, aſcendunt, deſcendentes vero, dū per ſemicircumferentias orientales ab Apice D. in Antapicē B deſcendunt. Poſtremo Orientales quiq; ac Màtutini hi Planetæ Iouis Comites. in relatione ad Iouē, cui ſubordinantur, cenſeri debeāt. dùm ſplendent iā in ſemicircumferentijs aſcendentibus, quatenus in illis, *I*oui præoriuntur, eadem ratione, qua & *P*lanetæ maiores, quoties in ortu Solem præcedunt Orientales cenſentur; quatenus ipſi præoriuntur. *I*gitur in ſemicirculis deſcendentibus quatenus Iouis ortum ſubſequuntur, Occidentales & Veſpertini *I*ouis Comites cenſeri debent. & ſic eaſdem Paſſiones, ac Denominationes hi Planetuli adamuſſim conſequuntur, quas & Planetæ maiores reſpectu, & relatione ad Solem.

Quod erat demonſtrandum.

DE ORTV, ET OCCASV MEDICAEORVM duplici.

CAP. VII.

CVM bis iam, in quauis reuolutione, singuli Iouis Comites cum Ioue coire videantur, semel videlicet, dum, cursu directo, ad Apicem, seu ad Augem D accedentes, limitem orientalem, Radium visionis A I L attingunt, prout in schemate per C tertij circuli Comitem insinuantur, & semel dum cursu retrogrado descendentes, ad Antaugem B properant, occidentalem Radij visionis limitem A H K attingentes. Ideo prior applicatio, in dorsali transitu, dicitur occasus matutinus, quatenus accidit in fine semicirculi orientalis D F L, cuiusmodi decubitus accidit ex interpositione dorsalis Hemisphæris vmbrosi Iouialis L H, Posterior autem occasus dicitur Vespertinus, quatenus occubitus ille fit in fine semicirculi occidentalis B E B, in frontali transitu sub lucido, & apparenti Iouis Hemisphęrio H G I, qui quidem occasus non accidit. ex interpositione Opaci corporis, quia tunc Planeta transit per frontalem & apparentem Iouis vultum: sed accidit ex confusione similis in simile, quatenus lucidum lucido implicitum, ac permixtum sensus noster nequeat distinguere, & excernere. nam tunc vtrumque obiectum eodem modo à Sole illuminatur.



ET cùm necessarium sit, vt post trã situm Planetæ, (siue per dorsalẽ, siue per frontalem Arcum L D K) accidat Emersio, quia rursus Planeta suboriri apparet; ideo ex duplici occasu, datur etiam & ortus duplex, matutinus videlicet, qui succedit occasui vespertino, quatenus in semicirculum orientalem incidens, appareat, prout exprimitur per Comitem primi circuli P in eodem schemate. item & Vespertinus ortus, qui succedit occasui matutino, post transitum dorsalis Arcus L D K, in limite visionis A H K, & dicitur Vespertinus, quatenus Planeta suboriens incidit in semicirculũ occidentalem D E B.

In secundo vero adiecto schemate præcissius vtraq; species ortus, & occasus exprimitur, nam per signa P, & V, iuxta Iouis Discum, hinc, illincq; occasus matutinus, & ortus designatur in duobus intimis: Per C vero, & F Extimorum Comitum cùm ortus, tùm & occasus Vespertinus insinuatur. Per visionis vero Radios A H, & A I, Discum Iouis intercipientes, Arcus H I interceptus inter vtrumq; ortum, & occasum, in transitu Planetæ, super dorsalem, seu per fron-

talem

talem regionem, exprimitur. Sed hæc precißius vbi de latitudinibus Mediceorum veniunt exprimenda.

DE MEDICAEORVM NOMENCLATVRIS, Appellationibus, & Encomijs.

CAP. VIII.

VBi primùm tentare cæpi Medicæorum obseruationes, vt singulos Iouis Comites ab inuicem in deprehensionibus distinguerem, eos adnotare lubuit primis Alphabeti Caracteribus A, B, C, D, eodem ordine, quo ad Iouem in suis sphœricitatibus coordinantur: vt etiam vocabulis quoq; caracteres insignirem, eos Græcis nominibus appellare cepi Alpha, Bita, Cappa, Delta, addita singulis dictione Pharus videlicet: Alphipharus, Bitipharus, Cappipharus, & Deltipharus, ea ductus ratione, quia sicuti hæc vox Pharus Græcis insinuat lucem, quam referunt Turres cum accensis Facibus, ad indicandam viam Nauigantibus, ad quam dirigi Noctu debeant; ita & horum Planetarũ corpora opaca, iam cum sint, tamquam Turres è Cœlo sublimes, per lucem quam ab inextinguibili Solis face sibi inhauriunt, lucem nobis impendunt, qua duce, ad illorum cognitionem incendere poßimus. hæc ità mecum priuatim exhibenda proposui.

Sed mox cùm sanè publici iuris meas hasce obseruationes, vt rerum cœlestium studiosis prodesse poßim, exhibendas decreuissem. dubitare cœpi an mihi liceret, stellas hasce peculiaribus Nomenclaturis indigitare, &

quibus nam nuncupationibus rationabiliter essent adnotandæm. Quò ad primum igirur.

COELI CONSTELLATIONES, ET SINGVLAS *Stellas peculiaribus insinuare nuncupationibus ad illarum ab innicem distinctiones esse, & æque necessarium.*

PROBLEMA VNICVM.

SIC licitum fuit Antiquis Arato, Hesiodo Martiano, Capellæ, & alijs quamplurimis Astrorũ Arbitris, Nomina Stellis imponere, vt Cœli singulæ Constellationes, eisdem hucusq; nuncupationibus, non sine plausu, indigitentur: quin etiam in sacris paginis, apud Iobum Orionis, Hyadum, & Arcturi mentio fit. Necessarium erat enim, cùm ad insinuandas Cœli Regiones, & Stellarum situs in quibus quãd que Phœnomena incidunt, tum ad stellarum Cœtus consignandos, per illarum speciales, vel indiuiduales appellationes indigitare. Quomodo enim Solem, Lunam, aut Stellas errantes, in quibusnam Cœli signis, tunc fulserint, ostendere poterimus, nisi ea per Nomina signorũ, vel Constellationum indicemus? sed quanam ratione Cometas, aut nouas Stellas, in quibusnam Cœli partibus inciderint, significare poterimus, nisi per nomina Constellationum, & partium illarum? sedrursus, qua ratione stellam quamuis indiuiduare valebimus, nisi eam in quonam sinu pręcognitæ Constellationis, niteat, indigitemus, dicentes in capite, in fronte, in ore, in pectore, in

hume.

humero, cubito, genu crure, pede, calcaneo, dextro, sinistroue? In aure, in tibia, in manu dextra, sinistraue, Arietis, Tauri, Geminorum, Cancri, vel cuiuslibet Constellationis?

Ob id etiam stellas nonnullas insigniores Antiqui peculiaribus Nomenclaturis insigniuere, prout sunt, Capella in *A*uriga, Fidicula in Vulturæ: *A*rcturus in Boote: *A*ldeboran in Tauro Basiliscus in *L*eone; Vindemiatrix & *A*rista in Virgine: *A*ntares in Scorpione, Procion in Canicula, *S*yrius in Cane maiore, Bellatrix, & Regel in Orione, Fomahant in ore Piscis austrini; & Canobus in Argonaui.

Præterea non solum id *A*ntiquis, sed & Recentioribus licitum fuit. In primis *A*ugustinus Nyphus in Proemio libri de Figuris Helionoricis, Stellã, quæ in *A*rietis vertice emicat, Helionoræ cognomento insigniuit Naucleris Europeis præterea, qui in Indias remigantes austrasissimas Constellationes obseruarent, eas Animalium quorumdam, & materialium rerum Nominibus pro libitu, ad illarum stellarum distinctiones, ingeniose, licuit appellare.

Sic etiam licitum fuit, & Nuncio Sydereo, stellas errantes Iouis Comites hactenus mortalibus inuisas (quas ipse nocte diei 7. Ian. 1610, primus fuit, qui Telescopio detexit) Medicæas a Cosmi Magni Hetruriæ Ducis stẽmate Gentilitio appellare: sed & nouem stellas, quas iuxta Iouem semel Schirleus visit, Vrbaninas nuncupauit sunt qui & solares Maculas etiam Austriaca sidera condixerint.

Igitur si Antiquis: si Recentioribus *A*stronomis quoque

que, Stellis cùm fixis, tùm & errantibus Nomina, pro libitu, coaptare licuit. & mihi quoque iam illorum vestigia insequenti, non sponte. quidem & pro libitu, sed rationis ductu l cebit. Quod erat per inductionem demonstrandum. *Superest, vt disquiramus, quasi per Corollariũ.*

QVIBVSNAM STELLAE MEDICAEAE peculiaribus Nomenclaturis insigniri potissimum liceat.

CAP. IX.

IGitur cùm Galilæus primus Comitum Iouis indigitator, stellas easdem speciali vocabulo Medicæas appellauerit. *E*quidem, qui nouissimus omnium earumdem Deprehensor sum, (neq; interdum alius quispiam easdem stellas peculiaribus nũcupationibus hucusque insinuauit) rationabiliter singularibus ab eisdem Hetruriæ Principibus, mutuatis Nominibus, appellare, si liceat, lubet. Quatenus igitur hi quatuor Planetuli Gentilitatis Medicæorum stemmata sunt, in primis Cappipharum, qui Tertius est in ordine ad *I*ouem: tanquam omnium splendidissimũ, vt Comitum Iouis Coryphæus censeatur, *à Cosmo Primo* huius nominis Hetruriæ Duce Magno, cui primùm hæ stellæ illuxerunt. *Cosmipharum* appellamus. Deinde cùm Deltipharus in ordine Quartus ac postremus, ob sphœricitatis amplitudinẽ, qua sphœricitates reliquorum circum plectitur, & connectit, & ob motus grauitatem, qua reliquorum Comitum etiam circumgressiones superat, & exce-

excedit, *Ferndipharum*, idest Ferdinandipharum (per sincopem) ab ipsius *Ferdinandi* Magni Hetruriæ Ducis hodierni, lubuit appellare. sed Alphipharum, qui Ioui immediatus, minimam percurrit sphœricitatem, *Princi-pharum* ab ipso *Principe* ipsiusmet Ferdinādi Magni primogeniti nuncupauimus. Postremò Vitipharum, qui secundus in ordine Comes, inter Ferndipharum superius, & Principharum inferius, intercedit, *Victripharum* ab ipsa *Victoria magna* Ferdinandi Magni Ducis, *vxore inuictissima*, ad nominis æternitatem, appellandum constitui prout ex ordine, in adiecto Laterculo, explicantur,

Mediceorum, seu Planetarum quatuor Iouis Comitum Notæ Nuncupationes, & singulares appellationes.

A Serie, ac Num.	1 A	2 B	3 C	4 D
Ordine ad Iouem	Intimus	Penintimus	Penentimus	Extimus
Ab Hetr. Princip.	Principharus	Victripharus	Cosmipharus	Ferndipharus

DE IOVIS IPSIVS NOMENCLATVRIS *deque Florentiæ Vrbis, & Arni Fluminis Encomijs.*

C A P. X.

CIrcumspectissimus *I*ouis vultus, vèl splendidissimus eius Discus, quem è Terris mortales perspicientes, blandum eius *I*ubar hilari vultu admirantur, Zona quadam cingitur, & circūplectitur, vmbrosa; quæ lucidum Discum in duo bisecat

Hemis-

Hemiſphœria; Hunc *Florentiæ* Campum ampliſſimum, ac ſpecioſiſſimum: illum ARNI ſinum fluentiſſimum, & vberrimum, ęquiſſimo iure appellandũ decreuimus. Nam ſi *I*ouis ipſius Comites præclariſſimi Gentilitio Medicæorum Stemmati modo conſecrantur, cur non & vniuerſum I uis Aſtrum, cui Comites eius ſubordinantu, & concomitantur?

Eſto igitu Iouis vultus vrbs Florentiæ omnium pulcherrima, & quam interfluit Arnus Zona illa cærulea; ſed & Vrbis Duces, ac Rectores Comites ipſi *I*ouis ſplẽdidiſſimi. Vrbs munita mæniis, Giris vallata, & vndique circumſepta, quæ ſunt omitum ipſorum ſphœricitates *I*gitur ſicuti Cœleſtis Florentię Campus ſemper lucidus ac lumine plenus, quia nequit *I*ouis vultus à Solis aſpectu recedere: neque vnquam ab opaco intercedente corpore obumbrari. it neque Area iſta deficiet à ſua luminis plenitudine, à patre luminum ſibi indulgenter irradiati: Deficiunt aliquando Comites eius in eliquijs, quatenus mortales Hetruriæ Duces Magni; ſed in p rpetuũ viuunt, dum ad lum n priſtinum, & ſplendorem per ſuc ceſſionem Prolis reſtau antur, ac eſtituuntur.

Quod ſi quæ Zonula interim fortaſſe cum ipſa Zona magna, quandoque concomitari appareat, & cum ea in vultu *I*ouis conſpirare vide tur. hi Rami, aut Arni Riuuli eſſe cenſeantur. Præterea per acceſſum *I*ouis ad Terram, vultus eius augetur, & ſphœricitates Medicæorum amplificantur: receſſu vero Diſcus anguſtior apparet, & ſphæricitates coorctantur. *I*dq; inſinuat quatenur per ſeculorum viciſſitudines modò amplificantur Dominia: magnificantur Domini, vel permutãtur eadem ſeculorũ

ſuc-

succeſſione ac viciſſitudine. Vrbs autem ſemper uiget, & in perpetuum conſeruatur. Quæ erant per Analogiã ſuperiorum ad inferiora, præmeditanda.

DE NATVRA, ET FACVLTATE Comitum Iouis.

CAP. XI.

QVærat fortaſſe quiſpiam curioſus, quaſnam hi Planetæ Iouis influentias, & facultates in hęc inferiora impendant, quoſue effectus producant. niſi enim horum facultates prius nobis innoteſcant, qualis erit harum Ephemeridum fructus & vſus? cui ita reſpondendum cenſeo. in primis harũ Ephemeridum vſus, & fructus. inferius iam veniunt explicandi; ſed quo ad facultates, quas hi Planetę quatuor Iouis Comites apud nos Terrigenas exercent, ſub inſenſibile nos prorſus latent. Nam ſicuti viſibilitatis actum, nõniſi ope Teleſcopij apud nos mortales hæ ſtellę conſequuntur, ita & actiuitatis actus illarum, nonniſi à priori, ope intellectus percipi queunt. Nam ſi ſpecies lucis & mobilitatis harum ſtellularum ad nos vſq; quamuis tenuiſſimè defluit, oportet etiam vt nõnihil Actiuitatis cum reliquis cœleſtium corporum facultatibus in nos conſpiret. Adiuuant igitur neceſſariò Iouis actiuitatem Comites eius, & pro illorũ ad Iouem, & inter ſeſe diuerſa Correlatione addunt, miuuunt, immutant, & Iouis ipſius actiuitatem opitulantur; verum nos præ illorum tenuitate, facultates eorum diſtinguere, vel percipere nullatenus poſſumus,

eadem ratione, qua neq; Astrorum Arbitres exiguarum stellularum speciales influentias cognoscunt; vix enim, atque vix Primi, vel secundi honoris splendentium stellarum facultates illarum speciales, vel indiuiduales percipere possunt; quò minus tertiæ, quartæ, quintæ, vel sextæ magnitudinis speciales, vel singulares effectus vnquam capere poterunt?

Exercent vero sensibiliter & efficaciter hæ Lunæ *Iouis* quatuor, & hà rum quælibet, suas speciales, ac singulares facultates in sphœra Iouis, non minus, quàm & Luna nostra, vel quiuis Planetarum maiorum, aut Iupiter ipse apud nos in Terris: si quæ tamen detur in sphœra *Iouis* possibilitas, necessariò dabitur & actiuitas, & euidenter, pro lucis magnitudine, pro motus celeritate, vel tarditate, & pro apparentibus ibidem Lunarum illarum Phasibus, syzigijs; videlicet, coniunctionibus, oppositionibus, & alijs configurationibus, & *Ecclypsibus*, quæ omnia, & singula ibidem apud Iouem fieri contingerent vbi actiuitatis, & possibilitatis actus ibi daretur. Quod si quæ facultates ab illorum Planetarum apparentibus motu, lumine, claritate, ac magnitudine, conijcere lubeat, hæ tales esse poterunt, quales per Analogiam ad Planetas maiores modo recensere conabimur; Nam Principharus, qui intimus *Iouis* Aulicus est, ob motus celeritatem & inconstantiam, quatenus eodem die, cursu velox, tardus, & Stationarius efficitur, & quotidie, modo orientalis, modo occidentalis: matutinus ac vespertinus: item Directus, & Retrogradus: Mercurij Solaris vicem gerit, & ancipitis naturę censetur, & ob id, tanquam cursu celerem, versatilem, & Anguiferum, Caracterem eius, vnum

de

de Globulis Medicæorum alatum, cum Caduceo sibi infixum exprimerem.

Porò Victripharum, quatenus non multum à *Ioue*, nec parum digreditur: non multum velox, nec piger in cursu reditur, sed moderato gressu, muliebrem pudicitiã sapit, ac modestiam, ideo Veneri comparandam censeo, & ob id Caracterem eius, per vnum de Globulis Medicæorum Liliolo coronatum, obsignarem.

Cosmipharum præterea lucis rubescentis *Iubare* clarissimo nitet, ob id Martis vicem supplet, ac refert. Nam & Militiæ Ducem inter satellites Iouis repræsentat. ob id Gladium Laureola coronatum, & Globulo infixum, in signum illius recenserem.

Postremo Ferndipharus ob luminis tenuitatem, motus tarditatem, & sphœricitatis amplitudinem, qua reliquorum Comitum sphœricitates continet, & circumplectitur, Saturni naturam, & facultatem refert. Nam tres Ferndiphari reuolutiones, quas in diebus L, horis 6. & m. 47. absoluit, septem Cosmiphari, vel quatuordecim Victriphari: aut viginti octo Principhari reuolutionibus coæquantur; ita vt virtualiter in se contineat 52. Reuolutiones. Ob id Caracterem eius, per *S*ceptrũ Globulo infixum exprimerem. & hæc erant præmeditanda ad supplementum Primæ Partis *In*troductionum.

SCHOLIVM.

SI modò liceat, Vrbem, & Arnum Hieroglificis etiam Caracteribus obſignare, acceptis iam quatuor Medicæorum Globulis pro Iouis Comitibus, quintus, & infimus, Aquarij ſigno intus inſignitus, pro flumine: ſextus qui ſupereminens iam floribus, vel ſuis lilijs ornatur, pro Cæleſti Florentia, quæ inſimul cum interfluente ſibi Arno, in vultu Iouis nitidiſſimo ſplendent, aſſumantur, & admittantur.

INTRODVCTIONVM
IN
EPHEMERIDES
MEDICÆORVM
PARS SECVNDA

IN QVA DE LATITVDINIBVS,
de illarum inconstantia, de magnitudinibus Periodicijs,
de causis apparentis inæqualitatis illarum,
de æquandis longitudinibus, & de
causis Eclypsium, deq; illarum
vicissitudinibus.

PANORMI, Apud Cirillos. 1656.

LATITVDINES MEDICAEORVM, Planetarum euidentissimas esse: sed permutabiles, & inconstantes.

CAP. I.

MAGNA olim inter Nnncium Sidereum, & Simonem Marium lis & controuersia fuit, ipse enim Galilæus in epistola ad D. Virgineum Cæsarinum contra Guntzhesani Assertionē strenuissimè insurgit. cuius Assertio talis erat. Stellas Medicæas nunquā in eadem recta constitui, nisi in maximis digressionibus, quatenus Iouis Comites in digressionibus intermediis perpetuò sibi latitudines hinc inde à centrali via Iouis vendicarent. quod circulos suos à Iouis Plano haberent declinantes. quod prorsus Galilæus negauit, contrarium asserens, videlicet, cum Plano Iouię sphœricitatis adamussim coincidere, ita vt semper in eadem recta vbiq; cum Iouis centro coincidant, adeo, vt vbiq; Stellæ Medicææ ad inuicem coiuerint, partiliter cō iungantur, ita vt ex duobus, appareat vna. sed etsi quid spatiolum intercedere inter coeuntes appareat, id non ratione inclinationis Planorum, sed exiguæ Parallaxis, p vt ipse conatur ostendere. Quin potius Galilæus contra eūdem, asserentem. Latitudines Medicæorum in semicirculis superioribus Austrinas esse, in inferioribus vero Boreoles, etiam insurgit, contrarium ostendens. De qua lite, & controuersia equidem obstupeo, dùm prorsus contrarium

rium

rium vtriusq; Assertionis deprehendo: Nam contra Galilæi Assertionem. non solum sensibiles latitudines Mediceas vendicare, sed valde sensibiles, ita vt in coitu sæpissimè plusqnam semidiametrum Disci Iouialis intercipiant. quin potius neq; in ipsis maximis digressionibus, vbi superior cum inferiore stellula coiuerit, ita arctatim coieunt, vt nil quippiam intersit. Quo vero ad Assertianē Simonis Marij, quod scilicet in semicirculis superioribus australem, in inferioribus Borealem assumant latitudinē, contrarium docet Experientia; nam ex quo Mediceorū latitudines obseruare cepi, eos perpetuo Boreales in superioribus semicirculis, Austrinas vero in inferioribus deprehendo. Quid Prestigium istud me redit infatuatum vt vtriusq; sententiæ contrarium percepisse videar? Nūquid ego tantum oculatus ero, vt eruditissimorum Virorū obseruationes, ac deprehensiones accuratissimas falsitatis redarguam? nequaquam, sed vtramq; vtriusq; sententiam tanquam verissimam comprobo, & excipio.

Igitur ea tantorum Virorū controuersiam in deprehēsione latitudinum, non aliunde factam fuisse, & originē, sumpsisse contingit, nisi ex ipsa latitudinum inconstātia & mutabilitate; quatenus in diuersis temporibus deprehensa, diuersa appareat.

Et quia eo tempore, quo Galilæus suas, quoad latitudines Mediceorum, obseruationes exhibuit, continxit, vt nullas haberent latitudines, contra Simonem Marium (qui suas obseruationes tunc exhibuit, cum latitudines reipsas tales vendicarent Iouis Comites, quales ipse adnotauit.) meritò insurgit, credens ita perpetuò iure, sibi Mediceas, vt ipse deprehendit, stellas à latitudine immunes

munes esse. Nam & ego qui omnium nouissimus depre-hensor sum, dùm Præstanstissimorum virorum de latitu-dinibus controuersiam attendo, maximopere latitudini-bus inuigilãs, eos mobiles, & inconstantes deprehendo.

CAVSAS INAEQVALITATIS PERIODICAE magnitudinis in Stellis Medicæis disquirere, ac manifestare.

CAP. II.

QVerat quispiam fortasse, vnde fieri contingit, nã vt Viri quiq; Prẹstautissimi Mathematici eru-ditissimi, vel *A*stronomi penitissimi totidem fuerint, qui in obseruationibus Medicẹorum inuigilantes ac totis Viribus incumbentes extiterint, cũ tamen hucusq; nullus absolutã de Stellis Medicæis Theoricam intexerit, nisi fortasse Don Vincentius Rainerus Oliuetanus; qui decẽ annis totis huic studio inuigilauit?

Huic ità querenti, quiuis ex hisce prẹmeditatis Medi-cæorum Arbitris, ità prorsus responderet. *A*n quia nun-quam certam, & indubitatam *P*eriodi magnitudinẽ in quouis *I*ouis Comite reperire potuimus: nam semper in-constantem, & sibi ipsi inæqualem percepimus, cuius nõ vnã, sed plures atq; incertas inæqualitatis causas. censem'.

Quandoquidem non Orbis commutatio, non Eccen-tricitas *I*ouis aut Stellarum, nec Dierum inæqualitas, cõ-putatis æquationibus, ad ẹqualitatem nos inducere po-tuerunt. ob id exterriti iam, à cepto destitimus. Ita adamussim responderent; quatenus ita quidẽ fateri cogãtur.

Nam inter cęteras inæqualitatis causas abditas,tertia interest omnium abstrusissima, quam equidem nuperrimè deprehendi, videlicet,eadem quæ inæqualitatis latitudinis causa; videlicet ipsius latitudinis cõmutatio,quæ iugiter Periodis magnitudinem auget, vel minuit.

Tres igitur, non plures Periodicæ inæqualitatis causę,videlicet Orbis commutatio, latitudinis inconstantia & dierum inæqualitatis existunt. Quæ erant præmeditandę.

STELLAS MEDICAEAS, IN MOTV LONGITVdinis à recta centrali Iouis via, Ecclypticæ Parallela, hinc, inde aliquantisper deflectere, atque sensibiles admodum, in suis a Ioue digressionibus vendicare latitudines.

C A P. III.

Propositio Prima.

IOuis Comites, ad instar maiorum Planetarum, qui à via Solis recta, quàm Eclypticam nuncupant, iugiter hinc,inde deflectunt, & ipsi à *I*ouis via recta,quam etiam *I*ouis Eclypticam appellare licebit, hinc, inde deflectere, euidentissimis deprehensionibus constat. ita vt nullus dubitandi locus admitti possit, *I*n primis quoties duo quiuis Iouis Comites,iuxta *I*ouis Discum, præsertim vbi contrario motu agitantur,ita vt vno ortu Matutino,aut Vespertino de sub *I*ouis Discoemergente,reliquus,è contra occasu Vespertino,aut Matutino proximè sub Discũ immergatur, tunc à *I*ouis limbo iam æquidistantes, valde sensibili spa

tio

tio abinuicem dissidere cernũtur, ita vt vnus suboriri de inferiori semicirculo, reliquus in superiorem immergi appareat, idq; semper & euidenter à me ab anni 1652. initio, ad finẽ anni 1655. deprehensum est. siue Iupiter omni latitudine exemptus fuerit, provt Anno Domini 1652. siue maximam Borealem latitudinem sibi vendicauerit, provt anno præcedenti 1654. vel præsenti 1655.



ESto enim in adiecto schemate via Iouis recta R, E S, quæ Iouis Discum A D B C per centrum E producta, in duo æqualia diuidat. Accidat autẽ vt eodem temporis momento, quo Ferniрharus ad occasum Vespertinum accedat, ortu Vespertino emergat Cosmipharus iam tunc videbitur Fernipharus è regione B, in F: Cosmipharus verò è regione A, in C, distantes ab inuicem saltẽ semidiametro plus minus, sublucere. similiter & in cæteris deprehẽditur. Quodsi duo, vel tres ex eadem regione tunc emerserint quamuis non multum ab inuicem distare videbuntur, non tamen ita ad inuicem connecti apparebunt, quin inter se spatium sensibile non admittant, præsertim vbi non fuerint in serie circulorum immediati

Secundò multoties deprehensum fuit, vbi plures ad inuicē in Synodum conuenerint, nūquam partiliter coire, ita vt ex duobus vel tribus, aut ex vniuersis coœuntibus vnum tantū appareāt sed in accessu, (præsertim cōtrariæ lationis fuerint ita vt alij directi, cæteri retrogradi incedāt) varias figuras componāt, ac designent, videlicet Arcus semicirculos, triangulos, rhombos, rhomboides, rectas lineas, vel transuersales. Quod fieri nequiret. nisi Latitudines diuersas ab inuicē consequerentur sed perpetuo per eamdem rectam Iouis centralem proficiscerentur.

Tertiò quoties aliquis Comitū Iouis in maxima digressione fulserit, & interim reliqui infra suas maximas elongationes intercesserint, nunquam in eadem recta coincidere obseruatum est, nisi omnes insimul in suis maximis elongationibus Stationarij fuerint. & in eo casu tantum, prout optimè Simon Marius definiuit. Ex qua deprehensione cōstat Planum commune esse, & sphæricitas cuiuslibet Medicæorū à Plano Iouis, concentricè declinare. prout nobis in Theoricis per quam satis fuit explicandum. Modo breuiati studentes, Tabellas nonnullas, ad explicandas latitudines, addere lubuit.

S C H O L I V M.

BIennium ante ex diuersis obseruationibus deprehendi *I*ouis Comites in eodem communi Plano suas reuolutiones absoluere, cuius Plani quidem à Plano Eccentrici Iouis ad semiquadrantem declinationē constantissimam fore existimaui, quo quidem fundamēto fretus singulorum Comitum latitudinem singularem definiui: nam semidiametrum *I*ouis in duodecim ęquales partes, vel vncias distinguens, reperi Principharo latitudinem

V-

vnciarũ duarum competere: Victriphraro trium: Cosmipharo V,& Ferndipharo vnc. 8. cũ dimidia vnius contingere. quibus admissis Principijs Canonem hunc latitudinum construere lubuit.

CANON LATITVDINIS CVIVSVIS MEDIcæorum, ad singulos sex Gradus longitudinis à Solis Radio centrali, in quouis Circuli quadrante.

Longitudo		Latitudinis magnitudo à via Iouis recta								Longitudo.	
Borea	Austr.	Principh.		Victriph		Cosmiph.		Ferndiph		Austr.	Borea.
Gradus	Grad.	Vnc.	scr.	vnc.	scr.	vnc.	scr.	vnc.	scr.	Grad.	Grad.
0	180	1	59	3	7	5	6	8	29	180	360
6	184	1	58	3	6	5	4	8	26	186	354
12	168	1	56	3	3	4	59	8	18	192	348
18	162	1	53	2	58	4	51	8	4	198	342
24	156	1	49	2	51	4	40	7	46	204	336
30	150	1	43	2	43	4	25	7	21	210	330
36	144	1	36	2	31	4	8	6	52	216	324
42	138	1	28	2	19	3	47	6	18	222	318
48	132	1	20	2	5	3	25	5	40	228	312
54	126	1	10	1	50	3	0	5	4	234	306
60	120	0	59	1	33	2	37	4	14	240	300
66	114	0	48	1	16	2	4	3	28	246	294
72	108	0	37	0	58	1	35	2	37	252	288
78	102	0	25	0	39	1	4	1	46	258	282
84	96	0	12	0	19	0	32	0	51	264	276
90	90	0	0	0	0	0	0	0	0	270	270
Grad.	Grad.									Grad.	Grad.
Direct	Retrog.	In Maximis Digressionibus.									

Post.



Postmodum subsequentẽ latitudinis, quam duo quiuis Comitum Iouis in cõiunctionibus quas ad inuicem bini sortiuntur, in quouis digressionis Modulo elaboraui: sed cum animaduertissem hoc anno 1655. latitudines coniunctorum, vbi contrarij motibus agitarentur, non vsquequaq; adamussim prout in Tabula adnotantur, conuenire; sed pro temporis successione paulatim augeri, & dùm causas huiusmodi incõstantiæ disquirerem, deprehendi latitudines à communi via Iouis recedere, non tamen à se inuicem, sed ferè vnanimes Iouis Comites recedebant, ita vt recedente Extimo Comite, tantumdem & reliqui succedentes recederent. ob id seruantes inter se eamdem latitudinem Borealem in semicirculis superioribus, & Austrinam in inferioribus, à via Iouis vero interim recedebant. & consequenter vbi cõtrarijs motibus agitati coirent, maiorem, atque maiorem inter se latitudinem, admittere videbantur. prout ex adiecto schemate repræsentatur.

TABVLA LATITADINIS, QVAM IOVIS Comites, in quouis digreſſionis Modulo, adinuicem coeuntes, ſiue in curſu ſimili, ſiue differenti conuene rint, ſibi vendicant.

	Fernd.cũ Coſmi.		Fernd. cũ Victr.		Goſm.cũVictr.		Coſm. cũ Princ	
	Simili	Differ.	Simili	Differ.	Simili	Differ.	Simili	Differ.
Mod.	Vnc. I.	Vnc. I.	Vnc.m.	Vnc. I.	vnc. I.	vnc. I.	vnc. I.	vnc. I.
I	3 24	13 32	5 24	11 32	2 0	8 8	3 10	6 58
2	3 25	13 21	5 29	11 17	2 4	7 52	3 24	6 32
3	3 30	13 10	5 42	10 58	2 12	7 28	3 10	5 10
4	3 37	12 47	6 2	10 22	2 25	6 45		
5	3 46	12 14	6 40	10 20	2 54	5 34		
6	3 57	11 33	Fernd. cum Princ.		Victr.cũ Prin.			
7	4 25	10 51	1 6 34	10 22	1 10	4 58		
8	4 30	9 10	2 6 49	9 57	1 20	4 24		
9	6 20	6 20	3 7 20	9 20	1 38	3 38		

Ex appoſita Tabella videre licebit, quod Victripharus cum Principharo hinc, & cum Coſmipharo illinc, ſibi immediatis in ſuis ſimilibus congreſſionibus, minimam inter ſe latitudinis intercapedinē admittit, videlicet vnius Moduli & ſextantis, cum Principharo, & duorum cum Coſmipharo, & hi bini Iouis Comites in adinuicem arctatim coeunt, vt neque Tertij ſpatium admittant, & ex duobus appareat vnus Comes Quod nunquam cum reliquis accidit. Namque reliqui ſemper admittunt intercapedinem vnius, vel alterius Comitis. Verùm dùm in curſu conuenerint, ita vt vterq; fulgeat in eodem quadrante,

& vter-

& vterq;fuerit Directus aut Retrogradus, alioquin vbi contrario cursu agitantur, magnā inter se coeuntes admittent intercapedinem, & quidem Ferndipharus cum Cosmipharo semidiametro maiorem, vt qui vnc 13. maiorem intribus primis digressionis Modulis admittunt, & vt quiuis per Tabulam hanc introspicere poterit, si lubeat.

Sed illud interim animaduertendum, quod scil perdurantibus eisdem fortasse latitudinibus in cōgressionibus conformibus, in difformibus tamen coeuntium intercapedines inconstantissimæ fiunt, eo quod Iouis Comites latitudines suas, à communi via Iouis, (quam Iouis Eclypticam meritò nuncupabimus) in dies permutant, provt mox vbi de Eclypsibus nobis ratiocinari contingerit, demonstrabimus.

CAVSAS INAEQVALITATIS APPARENTIS IN Motu Mediceorum, & in Periodicis illorum magnitudinibus breuiter explicare.

CAP. IV.

CVM satis in nostris Mediceorum Theoricis ostendendum fuerit, quatenus ad Solis translationem successiuam per suam sphœricitatē circa stabilem Telluris Orbem, Iupiter ipse quoq; cum suo Satellitio, raptu Firmamenti solaris, similem per Aethera & æqualem solari sphœricitati, sibi circumferentiam, circumscribat, ac propterea visionis Radius oculi persistentis, ad motum ipsius Planetæ rap-

tum hinc,illincq;circa *S*olis Radium successiue permutari contingit. Hinc fieri accidit vt Iouis motus, (etiam si persisteret immobiliter,in diuersas lationes circumferri appareat,& permutari, apparens modo moueri directus, modo raro Retrogradus. Cuiusmodi loci apparentē permutationem in Planetis, Angulum commutationis , vel Orbis Parallaxim Astronomi quiq;eruditissimi appellare consueuerunt, qui & eius Aequationem, Orbis æquationem , nuncupant.

*S*ed interim, neq; ipse Commutationis Angulus , seu Orbis IoualisParallaxis annua sibi ipse semper coęqualis efficitur, sed pro inæquali *I*ouis è Terris distantia,videlicet,in ascensu Planetæ in Augem suam,vel indescēsu ad Antaugem successiuè Angulus ipse, aut minuitur, aut augetur: si quidem angustissimus in maxima, & amplissimus in minima Iouis è Terris celsitudine, fieri perhibet.

Supponimus autem in Apogæo minimam esse Graduum 10. & m.39. sed Ioue fulgente sub Perigæum, maxima Aquatio euadit Grad.11. & m.43. in Elongatione *I*ouis à Sole Grad.101. 43. illic ante grad.100. 39.vt differentia inter vtramq; maximam intersit gradus vnius, & min.4. qui dicitur Excessus; & hic cōpensandus venit per semicirculum elongationis (hinc,illincque) Iouis à Sole. Cuiusmodi *I*ouis elongatio à *S*ole dicitur Anomalia longitudinis, cui competit Excessus propotionaliter æquādus pro Anomalia Eccentricitatis;quę videlicet est elōgatio Iouis ab Apogæo,vt proueniat Excessus æquatus addendus ad Angulum Aequationis, vt prodeat Aequatio coæquata addenda,vel subducenda à simplici lō-

gitudine cuiusuis Medicæorum, vt prodeat longitudo Planetæ apparens à centro *Iouis*.

Omnis igitur Medicæorum longitudo simplex iam ex Canonibus, ac Tabulis per computum deducta, vel deducenda, necessariò per subsequentem Canonem coæquanda erit, vt prodeat longitudo Planetæ apparens, à centro *Iouialis* Disci apparentis, alioquin Planetæ longitudo apparentiis ipsis non congruet. Quod erat manifestandum.

Canonis Aequationis longitudinis vsus, ac Praxis.

CVm dupliciter consideretur, & computetur Medicæorum longitudo, videlicet, aut simplex, media, & æqualis, quæ à Radio Solis, seu ab Axe vmbrosi Coni suum assumit Exordium. aut vera apparens, & inæqualis, quæ à Radio centralis visionis, seu à cētrali linea Iouis assumit exordium; & hæc est quam nos disquirimus, videlicet apparentē cuiusuis Planetæ longitudinem, quæ Medicæorum situs, ac dispositiones adamussim nobis repræsentat Nam ea longitudo, quam Canones, & Tabularum computus referunt, simplex, & æqualis est longitudo.

Ideo quoties lubeat simplicem longitudinem, quomodolibet exhibitam, in apparentem & veram restituere, ea per sequentem Canonem corrigenda, vel æquanda venit, videlicet addendo, vel subducendo Arcum longitudinis interceptū inter Solis, & visionis Radium, qui nunquā excedit grad. 11. 43. *differentia admodum sensibilem.*

Propter a ad rei claritatem, vt scilicet huius Aequationis ratio magis ac magis nobis innotescat, quædam, quasi suppositio-

positiones, promittenda veniunt, videlicet.

I. In omni coniunctione, vel oppositione Solis cum Ioue, Aequatio nulla intercedit, quatenus tunc Radius visionis Iouis centraliter coincidit cum Radio illuminationis à Sole. ita vt si Recta ab oculo producta transeat per cētrum Solis, vel in Axem vmbrosi Coni prout in coniunctione, in oppositione vero, si Recta a centro Solis producta, transeat per oculi centrum, iam ea terminabitur in centrum Iouis, & in Axem vmbrosi Coni illius.

II. Secundò quoties inter Iouem orientalem hinc, vel occidentalē illinc intercedat Arcus longitudinis Grad. 100 39. *ad* 101.43. *toties Aequationis Arcus erit maximus, videlicet a Grad.* 10. 39. *ad* 11.43. *prout tunc Iupiter in auge, vel Antauge, vel in Medijs longitudinibus fulserit.*

III. Tertiò ab omni coitu Iouis cum Sole ad primam Iouis Stationem, in longitudine premeditata Grad. 101. *videlicet in omeliatate Iouis, Aequatio successiuè crescit, & similiter quoq; ab oppositione Solis ad secundam stationem, in primo quadrante Iouialis occidentalitatis, ad eamdem ad Solem longitudinem Grad.* 101. *circiter. Aequatio successiuè crescit. sed à prima statione ad oppositionem Solis in secundo orientalis quadrante: sicuti & à secunda statione ad coniunctionem Solis Aequatio successiuè decrescit.*

IV. Quartò sciendū, quod splendente Ioue in sua orientalitate, à coniunctione scilicet, ad oppositionem Solis in semicirculo orientali. Aequatio perpetuò subducenda venit à simplici longitudo, vt prodeat longitudo apparens. Nā tunc Axis vmbrosi Coni visionis Radium procedit. è contra vero ab oppositione Solis ad coitū Aequatio addenda, & aggreganda venit ad simplicem longitudinem, & prodeat longitu-

gitudo æquata, & apparens?

V. Quintò ad omne momentũ, in quo exhibita ſimplici cuiuſuis Mediceorum longitudine, eam æquare, & ad apparentem reſtituere lubeat. Oportet ut Iouis à Sole diſtantiã, ſeu longitudinem(quã in Canone Anomaliã longitudinis dixeris) in Eclypſica in ſignis & gradibus. Idq; & Ephemeridibus expetere liceat (neq; enim in hiſce Tabulis Solis, & Iouis Ephemerides adhibui, ne volumen excreſceret) item Iouis ipſius longitudinem ab Auge, quæ erit Anomalia Eccentricitatis pro exceſſu æquationis addendo.

Praxis.

INgredere cum ſignis in Fronte, uel in calce Tabulæ, ut cũ Gradibus in prima, vel in vltima columna Anomaliæ longitudinis Solis à Ioue, & quod Arealiter reperies in ſecunda columna de gradibus, & min. Aquationis, & in ſequẽti de Exceſſu, nota ſeorſim. Deinde rurſus ingredere ſimiliter cum ſignis in Fronte, vel in Calce Tabulę, & cũ gradibus in prima vel vltima columna, prout ſigna fuerint in frõte, vel in calce, & in Area excipe ſcrupula proportionalia, nam de Exceſſus magnitudine, tantumdem liceat admittere, quantum de 60 ſcrupula proportionalia exigerint; nam proportionalis exceſſus ſemper addendus erit Aquationis Arcui, ut prodeat Aequationis Arcus æquatus, qui erit, aut ſubtrahendus à ſimplici longitudine, aut addendus, pro ut titulus inſcriptus inſinuauerit. quod vnico ſaltem exemplo dilucidabitur.

Eſto longitudo ſimplex Coſmiphari videlicet cælitùs deducta ad mediũ noctis diei vltimi Decẽb. 1 6 5 5. Grad. 5 9. 3 4.

Tunc

Tunc Solis locus Eclypticus sub grad. 10. 23. ♑ Iouis vero sub grad 20. 26. ♈. igitur longitudo Solis à Ioue, vel Iouis à Sole contra seriem signorum euadit signorum 8. grad. 19. & min. 57. Quamobrẽ ingrediens in Canone, reperio signa 8. in Calce, & in vltima columna grad. 20. Areatim in columna Aquationis accipio grad. 10. 39. addenda, & in columna Excessus. Grad. 1. 31. quos numeros separatim adnoto. Deinde rursus ingredior eundẽ Canonem cum Anomalia Eccentricitatis, videlicet cũ signis 6. & grad. 17. longitudinis Iouis ab Auge sua (sub grad. 9. & in colũna scrupuli proport. excipio scrupula 58. quibus de min. 63. Excessus cõpetunt min. 61. qui erit Excessus æquatus addendus ad grad. 10. 39. vt prodeat Aequatio æquata grad. 11. 40. addenda ad longitudinẽ simplicẽ Cosmiphari grad. 59. 34. (pro vt indicat particula Adde, in Calce Canonis) vt prodeat lõgitudo Aequata grad 71. 14. quæsita, in Medinoctio vltimi Decembris 1655.

DE RESPECTIVA MEDICAEORVM ad inuicem celeritate, in suis persoluendis celeriori, videlicet, vel tardiori cursu sphæricitatibus, & Periodicis magnitudinibus.

CAP. V.

CVM inæquales iam sint ad inuicem sphœricitates Mediceorum; ita vt intimi seu Principhari sphœricitas sit omnium angustissima. Extimi vero, seu Ferndiphari sit omnium amplissima; & re-

& r liqua pro ſerie, hęc maior, illa minor. vbi horum Planetarum curſus eadem æquali celeritate teneretur, procul dubio, minori, vel minima temporis intercapedine Principharus, pro minima ſuæ ſphœricitatis amplitudine, ſuam abſolueret Periodum: Ferndipharus vero, è contra, pro maxima ſphœricitatis amplitudine in maxima quoque temporis intercapedine: ſimiliter, & reliqui Iouis Comites, quiq; pro ſua quaq; ſphœricitatis anguſtia, vel amplitudine riſpectiuè.

Id vero multum veriſimiliter attenditur in ſphœricitatibus Medicæorum, quantumuis non ita adamuſſim eadem præciſione magnitudinum fieri appareat. Nam Principharus breuiſſimo temporis interuallo, videlicet, in ho. 42. min. 28. & ſecundis 44. ſuam omnium anguſtiſſimam ſphœricitatem percurrit. Victripharus vero, cuius ferè duplex ſphęricitatis amplitudo exiſtit, in ho. 85. min. 18. & ſec 15. ſuam Periodem abſoluit. Coſmipharus autem, cuius proximè duplex ad Victriphari ſphœricitatem, ſphœricitas exiſtit, in ho. 172. min. 2. ſec. 52. ſuam Periodem abſoluit. Poſtremò Ferdipharus, cuius omniū ſphœricitatis amplitudo maxima exiſtit; ſuā percurrit Periodum, in ho. 402. m. 14. & ſec. 33. in multo maiori temporis interſtitio, quàm dimidio eius, quò ſuā Coſmipharus abſoluit. In ea tamen proportione hæ duæ Periodus conueniunt, qua numerus 3. ad 7. & cum inferiores conueniant in ſubdupla; hæc erit ſubdupla, & inſuper ſub tertia, ita vt ſeptem Periodus Coſmiphari coæquentur tribus Ferndiphari Periodibus Porrò magnitudo Periodus cuiuſuis in adiecto Laterculo ad rei compendium, lubuit adnotare.

Tabel

Tabella Periodicæ Magnitudinis Medicæorum.

Principhari				Victriphari				Cosmiphari				Ferndiph			
Dies	Ho.	m.	sec.	Dies	Ho.	m.	sec.	Dies	h.	m.	sec.	dies	h.	m	sec
1	18	28	44	3	13	18	15	7	4	1	26	16	18	14	33

Consonantia, vel Aequipollentia Periodica magnitudinis Medicæorum.

Num. Perid.	Iouis Comites	Dies	Ho. min.	sec. Magnitudo.
4	P	7	1	55
2	V	7	2	36
1	C	7	4	1
3	F	50	6	47
7	C	50	4	19
14	V	49	18	12
28	C	49	13	24
20	C	143	8	29
81	P	143	8	47
101	C	723	22	24
409	P	723	21	50
128	V	454	22	25
257	P	454	21	2
119	V	422	20	23
59	C	422	21	25

De Aequipollentia Periodorũ in Planetis Medicæis.

CAP. VI.A

Consequuntur igitur Iouis Comites in magnitudinibus Periodicis ad inuicem consonantiam talem quidem, vt Periodus vnius sit aut multiplex, aut submultiplex alterius, prout vna Planeta fuerit alteri, in sphœrici,

ricitate ſubordinatus, vel præordinatus, veluti continẽs, aut contentus. Ideò Principharus, qui intimus omnium exiſtit, ad reliquos ſit ſimpliciter ſubmultiplex: è cõtra vero Ferndipharus cum ſit omnium Extimus, multiplex ſimpliciter efficitur: reliqui vero tantum reſpectiuè, multiplices, & ſubmultiplices eſſe poſſunt.

Hinc fieri contingit, vt Principharus ad Victripharum ſubduplex ſit: ſubquatruplex vero ad Coſmipharũ ſed ad Ferndipharum pluſquàm ſubnonuplex. Præterea Victripharus ad Coſmipharum ſubduplex, ſed ad Ferndipharum ſubquatruplex, & ſubſeſquialter: Coſmipharus autem ad Ferndipharum ſubduplex, & inſuper ſubſeſquialter ferè. hęc non adeò præciſè, vt nil deſit deinde aut ſuperſit. ſed interim pręciſius in adiecta Tabella hæc veniunt explicanda.

DE


IOVIALIS ORBIS
SYSTE= MATIS
EXEM= PLAR.
CÆLESTIVMQVE PHŒNOMENVM
PHASES

DE CAVSIS ECLYPSIVM IN COMITIBVS Iouis, & de vicissitudinibus deliquiorum.

CAP. VII.

ARTIC. PRIMO.

OMnes, ac singuli Iouis Comites, quatenus opacitate sicuti,& reliqua Mundi Corpora, prĕter Solem, & Stellas inerrantes, tenentur, vel quatenus Iouis Lunæ, ad instar huius Lunę terrigenę, Eclypsibus, vel deliquiosis affectibus obnoxij sunt: Nam cùm vnuersa, ac singula Mundi Mobilia, quę Solis mutua luce fruuntur, sicuti & Tellus, vmbræ Conum in oppositā regionem solaris Radij transmittunt, provt in Figura Systematis mundi, ad sensum repræsentatur. Igitur Iouis Globus, ad instar Orbis Terrarum, suū vmbræ Conum in auersā Solis plagam iugiter, pro molis magnitudine transmittit ex quo fieri oportet, vt quatuor ei⁹ Comites, qui perpetuo circa Iouis Globum circumferuntur singuli per singulares sphœricitates A,B,C, D, & secundum idem fere Planum.per quod Iupiter ipse G, circa Solem S, circumuoluitur) tanquam Lunę, in vmbræ Conum sępissimè incidant, & lumen, quod mutuum cū Ioue, à Sole inhauriunt, deperdant & amittant. idq; toties, quoties in eumdem Conum G,V, incidunt.

At in Conum Iouis vmbrosum, toties incidunt, quoties per suas circumferentias circūuoluuntur, scilicet per intercapedinem Periodicæ magnitudinis cuiusuis præter

Extimum, qui aliquando Deliquiorum immunitate gaudet. Priuilegium istud Soli Ferndipharo desuper elargitum est: Nam reliqui, semel per singulas reuolutiones, in vmbræ Conum incidant oportet.

Quoties vero contingit, vt Ferndipharus eamdem cũ reliquis passionem reabsumat, multò tardius quàm & reliqui Comites, neque ita profundè in vmbræ Conum immergitur: ob id celerius emergit. Contingit autem vt in diebus 50. & ho 7. ipse ter Deliquium subeat: sed eadem temporis intercapedine, septies Cosmipharus in vmbrosum Conum impingit; quatuordecies vero Victripharus, & viginti octies Princip harus: quo supposito, fieri accidit, vt singulis annis. Ferndipharus vicies & semel mutuũ Solis lumen, in deliquijs, amittat, ac recuperet: Cosmipharus quinquagies ae semel: Victripharus vero centies, ac bis: Principh. 207. subeunt. Atq; toties in annum Solis reuolutione Periodos cõpleãt, & Deliquiũ subeant, quot Cradus quique de sua sphœricitate, in quauis Diurna Solis reuolutione, percurrit, quod erat attendendum.

DE CIRCVMGRESSIONE VMBROSI CONI, vel de Orientalitate, & Occidentalitate Eclypsium

ARTIC. II.

CVM oporteat, vt eadem successione qu a, Sol suam circumlustrat sphœricitatem, & illuminati corporis vmbra adamussim conuertatur, (pro vt euidẽtissimè patet in corporibus opacis) & v mbra Telluris eadem circumgressione, qua Sol, vni-

vniuersam Eclipticam, ex òppòsito, percurrit. Igitur vmbra Iouis quoq; pro ipsius ad Solem relatione, modò in orientalem plagam modò in occidentalem hinc, illincq; inclinetur. Nam in coitu Iouis cum Sole in E constituto, vmbræ Conus secuudum eamdem rectam, qua visionis Radius T, in Solem E, & Iouem G, vmbræ Conus quoque dirigitur: & similiter quoties Iupiter Soli opponitur, in H puncto constituto vmbræ Conus secundum eamdem rectam H, T, G, X, per quam visionis Radius T, G, cũ Radio illuminationis coincidit, dirigitur. verũ extra huiusmodi Iouis ad Solem relationem, oporteat, vt vmbræ Conus à Radio visionis in latus inclinetur & eo magis, quo Iouis Globus à coniunctione Solis, vel ab oppositione recedat.

Esto. n. in adiecto Schemate, H, G, M, Iouis Globus Tellus vero, vel oculus in A, & Radius visionis A, B, G. Sol autem splendeat è regione V hinc, vel inde, iam Radius illuminationis V, P, G, ad secundam cuius vmbræ Conus producitur secundum rectam V, G, Q, declinãs à Radio visionis A, G, L, in O, vel in Q, & consequẽter oculus noster Medicæorum Eclypses modò orientales, modò occidentales obseruabit.

Nam quoties Iupiter Soli præoriens, orientalis fulserit, vmbræ Conus in occidentis plagam verget, & Medicęorum Eclipses orientales erunt. quatenus antequam Planetæ ad Iouis coitum orientalem, seu ad matutinum occasum applicent, in Deliquium necessariò incident. E contra vero quoties Iupiter Solem occidentẽ subsequens occidentalis fulserit, toties vmbrę Conus in orientẽ vergens, occidentalis censebitur; quatenus Medicææ post

ortum

ortum veſpertinum incidant in Deliquiū oportet. & conſequenter quoties *I*ouis Aſtrum occidentalis fuerit à Sole, quod accidit poſt diametralem eius ad Solem conſtitutionem, vſq; ad coniunctionem, Eclypſes Medicæorū erunt quoq; occidentales: ſed à coniunctione cum Sole, vſq; ad oppoſitionem erunt orientales.

MAXIMAS VMBROSI CONI DIGRESSONES à Radio centralis viſionis diſquirere, & explicare.

PROBL. I.

PRoponatur ob oculos ſchema Syſtematis Orbis Iouialis, quod præmiſimus. iam ex eo videre liceat, quatenus Sole fulgente in ſigno S. iuxta ♃□ veſpertinum, (& præcisè vbi Sol fulſerit in diſtantia Graduum 101) Axis vmbroſi Coni G V, (qui producitur à centro *I*ouis ad ſecundam Radij illuminantis S, G.) tantumdem à Radio viſionis T *G* X, declinabit, quantum Solis Radius S G, à Radio viſionis T G. Et conſequenter Angulus inflexionis X G V, Axis vmbroſi G V, æqualis erit Angulo T, G, S, quem Solis Radius *S* G, cum Radio viſionis T, G, ad *I*ouis centrum claudit, ſed Angulus iſte, qui *A*ngulus inæqualitatis, vel commutationis dicitur, in ipſa ſphœricitate *I*ouis *A*rcus Graduum 11. proximè intercipit. Igitur tantumdē *A*xis vmbroſi Coni hinc, inde à Radio viſionis centralis T G X. ſiue in conſequentia, vt X G V, ſiue in antecedentia, vt X G *I*, deflectit. Nam quoties Sol dum ſuam annuam

circum-

circumferentiam S, E, F. H, percurrens, incidit in F, iuxta □♃ matutinum, æqualem quoque Angulum F, G, T, ad Angulum S.G, T, admittit, quatenus æqualem Basim F, T, ad S, T, admittit, præter paruam eccentricitatis cũ solaris differentiam, tùm & Iouialis. Et consequenter ex eo quod æqualis sit vni tertio, & inter se æquales hinc Angulus deflexionis, V G X, illinc I G X, Graduum 11. proximè. Quod erat explicandum.

PERIODICAS MEDICAEORVM MAGNITVDInes nonnisi ad Axim vmbrosi Coni sibi ipsis æquales esse; in reliquis vero, vbi ad alios limites comparentur, perpetuò inæquales esse.

PROBL. II.

IN nostris Medicæorum Theoricis per quam satis demonstratum est, Axem vmbrosi Coni ad Solis Radium iugiter, ac firmiter & constanter se exhiberi, ita vt nisi fortasse Iouis Globus motu giratiuo agitetur, eamdem sui ambitus regionem ad Solem constanter dirigeret, eodem modo, quo Lunæ vultus ad Terræ centrum constanter & vniformiter dirigitur. Iupiter Axis vmbrosi Coni à centro Iouiæ sphœricitatis, quod iuxta Solis centrum persistit, nunquam deflectit, sed cum eadem linea centri coincidit. Et consequenter Axis vmbrosi Coni A, G, Z, hinc inde productus singulas Medicæorum sphœricitates in æquales bisecat, & eadem bisectionis, puncta in quauis sphœricitate immobiliter perseuerant. ita vt quiuis Planeta Medicæus, dum

dum semel ab Axis intersectione recedens, ac vniuersam sphœricitatem circuit, ad eumdem punctum reuertitur, à quo semel recesserit, & è conuerso. Igitur quoties Medicæus ad Axim vmbrosi Coni, è qua semel discesserit, reuertitur, integrum suæ sphœricitatis peripheriam, ac periodum absoluisse oportet. Quamuis autem vmbræ Conus nobis circumagitari appareat. non is tamen, quia nõ vmbræ Conus, aut Axis deflectit, sed Iouis Globus ad secundam solaris motus circũducitur, ex qua Iouis hinc inde annua circumagitatione respectu nostri, apparet nobis vmbræ Conus circumflecti. Quæ igitur ab Axe computantur temporis intercapedines in Medicæis; ipsæ sibi æquales periodicę magnitudines reliquę vero, siue ad limites Iouialis Disculi, siue ad limites vmbrosi Coni reuolutiones Medicæorum comparentur; prorsus sibi ipsis inęqvales apparebunt, quę erant demonstranda.

COROLLARIVM.

VBI Iupiter Soli præoriens orientalis fuerit, Medicæorum Eclypses orientales erunt, ita vt antequam Satellites Iouis Discum, accedendo, attingant, in eclypsim incidant, occumbendo occasu matutino deliquioso, vel oriendo ortu vespertino deliquioso: quod si occidentalis fulserit, Eclypses quoque Comitum occidentales erunt, occumbendo occasu vespertino Eclypsico, & oriendo ortu vespertino etiam deliquioso.



IN DVOBVS INTIMIS MEdicæis non dari euidens, niſi occaſus deliquioſus matutinus, vbi vmbræ Conus orientalis fuerit, & ortus deliquioſus veſpertinus, vbi occidentalis: in Extimis autem iuxta maximas vmbroſi Coni digreſſiones, in vtraque vtrumque dari.

PROBLEMA III.

QVamuis angulus L,G, O, hinc, vel L, G Q, illinc ęquales *Arcus*, de qualibet circumferentia PP, VV, CC, vel FF, ad G, concentrica ſubtendat, nihiloſeccius vmbroſus Conus G O, vel G Q, ſua latitudine, quamuis Cilindricus, & ęqualis vbiq; cenſeatur, maiorem *Arcum* de anguſtiore ſphœricitate, quàm de maiore, pręoccupat, quatenus eius ſectio maiorem angulum in anguſtiore, quàm in ampliore ſphęricitate complectitur, & ſic neceſſariò ſectio P, maiorem *Arcũ* de ſphœricitate PP, quam de VV: in qua maiorem, quam de CC, & ſi-

militer maiorem de CC, quam de FF.

Hinc fieri necessariò contingit, vt vmbrę Conus, in sphœricitate Principhari, cohereat ipsi Radio centralis visionis A,G,L, in maxima digressione vmbrosi Coni,& in sphœricitate Victriphari ipsi dorsali latitudini, vt nihil intersit inter dorsalem Arcum Disci Iouialis H,M,in sphœricitate N,& sectionem V;& consequenter oportet vt in Intimis Comitibus Iouis P,& V, non appareat,nisi initium (de Eclypsibus matutinis, seu orientalibus) & finis, de Eclypsibus occidentalibus, & vespertinis.In maximis vero C, & P, vtrumque sępius, nam inter dorsalem latitudinem I, & sectionem vmbrosi Coni C, sensibile spatium interseritur, quo Cosmipharus, post ortum vespertinum Eclypticum, appareat, antequam applicet ad occasum matutinum Iouium, vbi vmbrosus Conus vergat in occidentem: vel post ortum Iouium appareat,antequam incidat in occasum eclypticum matutinum; sed multo maior intercapedo interiici perhibet,in sphœricitate Fęrnandiphari; quàm inter F,& K,Planeta diutius appareat, p vt hæc precisioribus numeris in adiecto Laterculo veniunt explicanda.

In omni ☌ vel ☍ ♃ cum ☼, sicuti initium,ita & finis Eclypsium coincidunt adamussim,cum ortu,& occasu Iouio; scilicet dùm Planeta hinc attingit Iouis Discum occasu matutino, attingit, & limites vmbrosi Coni, occidens ēt occasu deliquioso:& dùm separatur illinc,à Iouis Disco,

exbr-

exortu vespertino, etiam ortu deliquioso exoritur. Verũ in vtroque □□♃ cum ☼, iuxta longitudinem ☼ a ♃ graduum 100. & min. 39. sub Auge, vel grad. 101. & m. 43. sub Antauge, in Eclypsibus Principhari, & Victriphari attenditur, aut principium tantum, vt si fulserint orientales: vel finis tantum, vt si occidentales: sed in Eclypsibus extimorum, Cosmiphari & Ferndiphari, vtrunque in vtroque, scilicet.

In omni □♃ cum ☼ De Medicæorum Deliquijs attenditur.			
In intimis videl. Principh. & Victr.		In extimis videlicet Cosmip. & Fernd.	
Orientalibus	Occidentalibus	Orientalibus	Occidentalibus
Initium tantum	Finis tantum	Initium & Finis	Initium & Finis.

Ratio huius diuersitatis ea existit, quod, scilicet in angustissima Principhari sphœricitate, semidiameter sectionis vmbrosi Coni, de angulo maximæ deflexionis abradit, seu præoccupat grad. 8. min. 13 (provt videre est ex Canone I. correlationis &c.) ac tantumdem præoccupat semidiameter Iouialis Disci, quæ adinuicem coniunctim producunt Arcum grad. 16 36 sed angulus maximę deflexionis Axis vmbrosi Coni à Radio centralis visionis, intercipit Arcum grad. 11. 42. qui vbi deducatur ab Arcu grad. 16. 36. residuum erit grad. 4. 54 igitur non solũ præoccupatur vniuersus augulus, sed diametrum Conicæ sectionis superexcedit grad. 4. 54. quæ pars præoccupatur à Disco Iouis in Eclypsibus principhari, qui in Eclypsibus orientalibus antequam liberetur, & appareat, in-

cidit in Discum *Iouis*,& ideo finis eius obseruari nequit sed in Eclypsibus occidentalibus, antequam Principhaxus oriatur ortu vespertino,de sub Disco *Iouis*,incidit in vmbræ Conum, & sic initium occidentalis Eclypsis etiam lateat oportet.

Semidiameter vero eiusdem Conicæ sectionis vmbrosæ, de sphœricitate Victriphari, in angulo deflexionis, abradit grad. 5. 13. ac tantumdem semidiameter Disci Iouialis, ita vt insimul proripiant grad. 10.26. de grad. 11. 42. totius anguli, & superest tantūdem de angulo grad. 1. 6. quod tamen interstitium præoccupatur ob circūfulsionem lucis, qua *Iouis* apparens semidiameter maior efficitur. & sic ob lucis excessum, ea exigua intercapedo obtunditur, vt limen vmbrosi Coni in sphœricitate Victriphari cum Dorso Iouis coniunctus appereat. atque ob id finis orientalis deliquij cum occasu matutino coincidit, & initium occidentalis Deliquij cum ortu vespertino & consequenter finis Deliquij orientalis, & initium occidentalis Eclypsis nos lateat oportet, in Victripharo.

Verùmtamen cùm semidiameter eiusdem Conicæ sectionis vmbrosæ, de ampliore sphœricitate Cosmiphari subtendat tantumdem grad. 3. 11.) provt patet ex Canone 3. sibi competente) ergo cum semidiametro *Iouis* insimul, subtendunt grad. 6. 22. quæ vbi subducantur ab Arcu grad. 11. 42. maximę deflexionis *Axis* residuum patebit grad. 5. 20. cuiusmodi Arcus coæquatur semimodulo seu semidiametro & consequenter oportet vt Cosmipharus post finē Eclypsis orientalis, antequam occumbat occasu matutino, appareat, & subluceat, in transitu à fine Deliquij, ad occasum matutinum. *Similiter* post ortum

vesper-

vespertinum, antequam vmbrę Conum subingrediatur etiam per spatiolum illud interluceat, provt sæpius mihi fuit obseruandum. non ita prçcisè videtur immorari in transitu, vt grad. 5. & min. 20. absoluat, quia lucis Iouialis circumfusio, obradit spatiolum illud intercapedinis, vt appareat minor, quam ratio exigat, vt semimodulum intercapedinis absoluat.

Postremo sectio vmbrosi Coni de amplissima Ferndiphari sphœricitate subtendit grad. 1. 58. ac tantumdem semidiameter *Iouis*, & insimul grad. 3. 56. cuiusmodi Arcus ab Arcu grad. 11. 42. subductus, residuus erit Arcus grad. 7. min. 46. qui duos Modulos proximè intercipit, quos Ferndipharus motu suo absolueret in h. 8. min. 50. quos tamen non absumit, nam hæc verissima intercapedo, ob lucis *Iouialis* circumfulsionē obraditur, vt minor appareat.

Quoties autem Sol à Ioue elongatur grad. 101. toties Ferndipharus, incidit in deliquium orientalem in digressione Modulorum trium cū dimidio à centro *Iouis*, vel trium à Limbo *Iouis*, videlicet inæquidistantia maximæ digressionis Principhari. atque in eadem pari digressione, in Eclypsibus occidentalibus, à Deliquio liberatur. in longitudine à *Iouis* Limbo, grad. 11. 42. quos absoluit in ho. 13. & m. 4. Cosmipharus vero in digressione Modulorum duorum & trientis. Victripharus in digressione vnius Moduli & dimidij fere. sed Principharus autem in digressione vnius fere Moduli. Quæ erāt præmeditanda.

ECLYPSIVM RADICES CAELITVS DEPREHENdere, ac proinde Methodum tradere, quā deinceps futura Deliquia ad omne tempus præcognoscere valeamus.

PROBL. IIII.

CVM necessarium sit, vt semel in singulis reuolutionibus *Iouis*, Lunæ quatuor, incidant in vmbræ Conum, prçter Ferndipharum, qui aliquando, ob eximiam eius latitudinem quā sibi vendicat, vmbræ latitudinem superantem, à Deliquio immunis efficitur (nam de Cosmipharo nondū mihi cōstitit, an aliquando Eclypses effugiat) Methodum tradenmus igitur, qua Deliquiorum tempora in posterum, præcognoscere possimus; eaque certis, & indubitatis computationibus indigitare.

Notabimus autem tempora media, ideſt centrales applicationes ad Axem vmbrosi Coni, nā cùm Deliquiorū perdurationes, ob latitudinis inconstantiū non satis constent; Exordia, vel Fines Deliquiorū de facilè nos decipient. Nam & in cōputandis magnitudinibus Periodorum, ab initio vnius Eclypsis, ad initium subsequentis, vel à fine, ad finem, (quatenus Planeta non applicat in eamdem vmbrosi Coni partē, vnde semel recesserit, sed perpetuò, ac successiuè puncta periphœriæ sectionis vmbræ permutat) quam plurimi decepti sunt.

Singulorum Comitum igitur, primum Radices erant nobis disquirendæ, ac prænotandæ, deinde temporum interualla, per successionē vicissitudinū venient explicanda.

igi-

Igitur Principhari Radix deliquiosa cœlitùs deducta, ita mihi cōparanda fuit videlicet. Nocte diei ☿ primi Septembris 1655. culminante occidentale ad caudam Ceti, cum part. 13.13. Principharus incidit in Deliquium, nā dùm Planetulum sublucentem iuxta Iouis Discum prospicerem, en ob oculos prorsus euanuit. Tunc, Solis locus Eclypticus sub grad. 9. 12. ♍ cuius recta part. 160.49. & supplementum circuli part. 199. 11. cum recta stellæ culminantis par. 13.13. refert Arcum partium 212. 24. qui insinuat ho. 14 & m. 10. P.M. culminauerat autem stella prænotata, antequam Principharus lateret, ad min. 2. ferè igitur initium Deliquiosi affectus incidit ho. 14. min. 12. P.M. diei ☿ 1. Septemb 1655.

Verùmtamen applicatio Principhari ad Axē vmbrosi Coni, seu ad Augē sphœricitatis eius, postmodum fieri continxit ho. 15. 0 præcisè, Nam cùm semidiameter sectionis vmbrosę de sphœricitate eius subtendat Arcum grad. 8. 12. Principharus autem tunc de sectione non diametrum, sed chordam vnciarum 5. seu grad 6. 50 percurrebat, quem Arcū absoluit in min. 48. vbi igitur ad ho. 14 12. super addantur min. 48. prodibit momentum quæsitū ho. 15. 0 applicationis Principhari ad Solis Radium, seu ad Augem Orbitę ipsius.

Porrò indagatio Radicis Victriphari, ita se habet. Nocte diei ☾ 20. Sept. 1655. Cubito dextro Aquarij præcisè culminante cum par. 331. 0. Victripharus à coitu Principh. solutus (qui tunc ortu matutino egressus, à Iouis Disco recedebat) & in Penumbram delitescens, ob oculos postmodum iuxta Iouis Discum, euanuit.

Tunc Solis locus Eclypticus sub grad. 27. 36. ♍ cu-

ius rectâ part. 177. 48. & supplementum ad Stellæ rectã part. 331. 0. euadit partium 153. 12. insinuans ho. 10. min. 13. P. M. Diei ☾ 20. Sept. 1655. initium Deliquiosi affectus ipsius Victriphari.

Sed applicatio eiusdem ad Axim vmbrosi Coni, postmodum accidisse oportet. Nam semidiameter Disci *Io*uialis desphœricitate Victriphari subtendit grad. 5. 12. sed ipse ob latitudinem, duos trientes, videlicet grad. 3. 28 ad centralem Radium absumit, quem Arcum absoluit in ho. 0. 49. vbi igitur ad ho. 10. min. 13. super addantur m. 49. prodibit momentum applicationis Victriphari ad Solis Radium: ad *A*xem vmbrosi Coni, seu ad Augem peculiaris sphœricitatis ho. 11. m 2, P. M. Diei ☾ Sept. 1655.

Præterea Radix Cosmiphari deliquiosa, ita mihi perscrutanda fuit Nocte diei ☼ 25. *Iulij* 1655 dùm obseruationibus Mediceorum incumberem, immorando vt exciperē initium Deliquiosum Victriphari, & Cosmiphari tunc imminentium. Vterque enim orientalis, ac directus erat, adinuicem coieuntes cum latitudine. Postmodū præcurrente Victripharo, & culminante lucida sequēte in eductione Caudæ ♑ cum part. 322. 1. vel aliquantulū serius, culminante parte 322. 15. Victripharus incidit in totale Deliquium, attingens vmbræ Conum ho. 13. 9. P. M.

Postmodum culminante parte 335. 18. (videlicet m. 17. antequam Fomahant cum parte 339. 33. attingeret Meridianum, provt constitit per oscillationes Penduli 590.) Cosmipharus incidit etiam in sui Deliquiū ho. 14. 1. P. M. eiusdem diei, intercedentibus 52. min. inter vtriusque Deliquij exordium. Nam tunc Sol obtinebat

rebat grad. 2. 41. ♌.cuius recta parte 124. 59. & Arcus interceptus ad Meridianum part. 210. 19. insinuat ho. 14. 1. P. M. diei ☉ 25. Iulij, quod fuit momentum deliquiosi exordij in Cosmipharo.

Supersedens igitur in eadem obseruatione steti, vt postmodum deprehenderem etiam Planetuli egredientis de vmbroso limite, momentum. Igitur culminante, quæ splendet australis ad caudam Ceti cum parte 6. 36. cepi mouere Pendulum, & ecce postmodum (numeratis 520 oscillationibus, quę equiualent quadranti vnius horæ) Cosmipharus egressus de vmbræ Conu, sub Penumbrã sublucere cœpit, infra digressionem semimoduli à limbo Iouis lucido.

Vbi igitur ad par. 335. 18. supplementũ par. 24 42. superaddantur par. 6. 36. stellæ culminantis, Arcus interceptus prodibit par. 31. 18. quæ ho 2. & m. 5. insinuant, quibus vbi addantur m. 15. pro ascillationibus 520. prodibit totius Deliquij mora h. 2. 20. cui* dimid. si addatur ad h. 14. 1. initij, cõflabitur momẽtũ cẽtralis Deliquij q̃sitũ h. 15. m. 11. P. M. diei ☉ 25. Iulij 1655. Radix Cosmiphari quesita iam applicationis ad Augem sphæricitatis.

Superest vt eadem indagine Ferndiphari Radix deliquiosa nobis etiam innotescat. Sed cùm hoc anno 1655 ex quo Nocte diei ☿ 28. Octobris 1654. ho. 10. min. 18 P. M. Deliquij exordium deprehendi, nullum deinde Ferndiphari Deliquium obseruare potui, quatenus ipse exemptus à deliquio fieri cœperit: provt Nocte diei ♀ 23. Iulij per èxperientiam didici.

Assumam igitur obseruationem perdurationis totius Deliquii, quam Nocte diei ♄ 22. Augusti 1654. ex-

 hibui

hibui. *Prospiciens* enim vesperascente die, animaduerti Ferndipharum sub Penumbram, iuxta *Iouis* Discum in digressione orientali Moduli sesquialteri à limbo *Iouis* lucido sublucentem; Qui postmodum prorsus ob oculos euanuit.

Culminauerat iam tunc ea *Stella*, quç præcedit in Cauda Aquilæ cum parte 281. 7 dum Sol interim refulgeret sub grad. 29. 34. ♌ cuius ascensio recta parte 150. 42. & Arcus à Sole ad Meridianum interceptus part. 129. 25. insinuat horas 8. 34. P. M. sed quia ad horæ sextantem iam Stella culminauerat, sextante serius quoque Deliquium incepit, videlicet, ho. 8. 44. P. M. diei ♄ 22. Augusti 1654.

Postmodum obseruationi inuigilans, dum culminaret Humerus ♒ dexter cum parte 327. vix eximio visus conatu Ferndipharum à Deliquio solutum sub Penumbram excerno. Tunc ☉ 29. 40. ♌ & eius recta part. 151. 47. Sed *Arcus* interceptus à Sole ad Meridianum part 175. 16. insinuat horas vndecim m. 41. P. M. eiusdem diei. Finis eiusdem Deliquij, cuius tota duratio fuit, (ab hora 8. min. 44. in horam 11. min. 41.) horarum 2. 57. & eius dimidium hora 1. 28. si addatur ad momentum initialis Deliquij hora 8. min. 44. medium prodibit horas 10. min. 12. P. M. diei ♄ vigesimi secundi Augusti Anni millesimi sexcent. quinquagesimi quarti. Momentum applicationis Ferndiphari ad Axim vmbrosi Coni, seu ad Radium Solis; vel ad Augem peculiaris Orbitæ, Radix quesita sed vt singulæ etiam Radices Medicæorum com-

pen-

pendiose pateant, in adiecto Laterculo adnotare lubuit.

Radices	Principh. 1655.	Victrip. 1655.	Cosmip. 1655.	Ferndi. 1654
Eclypticæ	dies ho. m mẽs.	dies h. m. mẽs.	dies h. m. mẽs.	dies h. m. mẽs.
Initium	☿ 1 14 12 Sep.	☾ 20 10 13 Sep.	☼ 25 14 1 Iul.	♄ 22 8 4 Au.
Medium	☿ 1 15 0 Sep.	☾ 20 11 2 Sep.	☼ 25 15 11 Iul.	♄ 22 10 12 Au.

Medicæorum Orbitam, & singulorum Sphæricitates, & magnitudinum illarum adiuuicem correlationes ob oculos repræsentare.

PRoduc rectam E I, quatamlibet vniuersæ Orbitatis diametrum esse cupis, eamq; in partes 29: æquales, vel in totidem semidiametrum E I, distingue. Nam si altero Circini pede in I, medio lineæ stabilito, reliquum per vtramq; lineæ extremitatem E & L, circumduxeris, circulus inde productus Ferndiphari sphæricitatem insinuabit. Nam si persistente eodem stabili pede Circini in centro I, reliquum per nonam partẽ circumduxeris, ipse circulus Cosmiphari sphæritiratem repræsentabit: si per quintam & semissim sextæ, Victriphari, si per tertiam, & semissim quartæ partis, circulus ille Principhari sphæricitatem indicabit, prout in adiecto schemate præ oculis apponitur.

Syſtema Orbis Iouialis, ſeu Medicæorum ſingulę ſphœricitates, & earum adinuicem correlationes.



ANTAVX.

Motus horum Planetulorum, & longitudo illorum cõputatur à puncto G Augis, in L maximā digreſſionē à centro Iouis I occidentalem, in Antaugem H, (quæ ſanè linea Antaugis I H, apparet centraliter cum Ioue I coire)

& ab

& ab H in L maximam orientalem digressionem, & inde rursus absoluta reuolutione G L H E, in G Augis lineam I G, restituuntur. in primo Quadrante G L dicuntur directi; Descendentes, & occidentales recedentes: in secundo L H, dicuntur Retrogradi, Descendentes, occidenteles, accedentes: in tertio circuli Quadrante H E, dicuntur Retrogradi, Ascendentes, Orientales & Recedentes. In postremo vero Quadrante E G, directi Ascendentes orientales, & accedentes ad Iouis coitum.

APPENDIX.

HAEC dùm Prælo committerentur, & quæ de numero de apparenti Iouis magnitudine, & de satellitum Eclypsibus raciocinatus sum, iam edita essent; Kalendis Decẽbris Panormi degens, Capucinorum Aedes adiui, ibiq; ablatum fuit mihi opus desideratissimum Ioa. Mariæ Schirlei Capucini, videlicet, oculus Enoch & Eliæ, seu Radius Sydereo mysticus, in quo quamplura possim legi, sed quæ ibidem lib. 4. cap. 4. membro 2. adnotaui, videlicet.

" I. Et vero perfalsum est Iouem tantum vnum minu-
